E libris

gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

T. O. 358.

IO. AVG. NOESSELTI

TRES

COMMENTATIONES

AD

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

PERTINENTES:

1) Providentiae divinae vestigia in pace Passavienſi 1552. et Auguſtana 1555.

2) De vera aetate ac doctrina ſcriptorum Q. S. Flor. Tertullinani. ed. tertia.

3) Obſervatt. de catenis Patrum Graecorum in N. Teſt. auctore I. F. S. Auguſtin.

HALAE,
FORMIS HENDELIANIS
1817.

IO. AVG. NOESSELTI

OPVSCVLORVM

AD

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

FASCICVLVS III.



HALAE,
FORMIS HENDELIANIS
1817.

DE

VERA AETATE AC DOCTRINA SCRIPTORVM,

QVAE SVPERSVNT

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DISPVTATIO.

IN QVA OBITER

RATIO CHRONOLOGICA IMPERII SEPTIMII SEVERI AVGVSTI

ET

MVLTI LOCI

ANTIQVITATIS PRAESERTIM CHRISTIANAE EXPLICANTVR.

AVCTORE

IO. AVGVSTO NOESSELT

THEOL. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORDIN.

IN ACADEMIA HALENSI.

EDITIO TERTIA EMENDATIOR.

operarum peccatis passim foedata

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-817211-p0009-0

ARGVMENTVM
DISPVTATIONIS.

SECTIO I.
Ratio instituti § I.
Quaestiones quaedam vniuerse proponuntur §. II.
1. Quonam anno TERTVLLIANVS ad Montanistas defecerit?
2. Vtrum, his relictis, se denuo ad Orthodoxos receperit §. III.
3. Quomodo TERTVLLIANVS Montanizans a Montanista discerni possit? Huius discriminis vindiciae aduersus HOFMANNVM §. IV.
PRIMA CLASSIS LIBRORVM, qui sunt tempore prioris vexationis Christianorum sub SEVERO Aug. scripti §. V. Vbi.
I. de ipsa hac vexatione disputatur ita, vt demonstretur: talem exstitisse ante SEVERI edictum; (quam in rem propositis MOSHEMII argumentis alia noua adiiciuntur) §. VI. et initium cepisse A. P. C. N. CXCVII.
1. ex anno, quo periit ALBINVS. Quo tempore cum acciderint ea, quae caussae huius prioris vexationis fuerunt.
primum de his dicitur §. VII.
deinde A. CXCVII. ALBINVM interfectum esse probatur.
a) ex ordine belli, quod SEVERVS cum PESCENNIO

CENNIO NIGRO gessit. Obiter quaedam notae in numis SEVERI explicantur et MOSHEMII rationes emendantur §. VIII.

b) e tempore expugnati Byzantii §. IX.

c) ex anno, quo CARACALLVS Caesaris dignitatem e SCto accepit §. X.

2. e loco quodam TERTVLLIANI ad SCAPVLAM, qui cum alio SPARTIANI confertur §. XI.

3. ex aetate Apologetici TERT. ceterorumque librorum, qui eum antecesserunt §. XII.

II. Aetas ipsa librorum huius generis definitur ita, vt
liber ad Martyres A. CXCVII. §. XIII.
de spectaculis A. CXCVIII. §. XIV.
de idololatria eidem anno §. XV.
Apologeticus A. CXCIX. §. XVI.
libri II. ad nationes §. XVII. et
liber de testimonio animae eidem anno asserantur §. XVIII.
Simul vindicantur hi omnes a Montanismi suspicione, et obiter nonnulla capita ex historia SEVERI Aug. Christianorumque istius temporis discutiuntur.

SECTIO II.

ALTERA CLASSIS LIBRORVM TERT., quae eos complectitur, quorum de aetate et erroribus Montanisticis constat. Quo referuntur

1. liber de corona. Disputatur: quonam tempore SEVERVS et ANTONINVS donativum in hoc libro commemoratum ediderint? quod quidem asseritur A. CCI. eodemque anno hunc librum scriptum esse docetur § XIX.
Postea secus sentientium opiniones examinantur:
HOFFMANNI et ORSII, qui illum A. CXCVIII. tribuerant, et
PAGII, qui eum assignauerat A. CCII. §. XX.
BARONII, qui A. CXCIX. §. XXI.
denique PAMELII et ALLIXII, qui librum conie-

coniecerant in A. CCIX. §. XXII.

2. libri II. de cultu feminarum; vbi ostenditur contra PAMELIVM et TILLEMONTIVM: vtrumque librum simul editum fuisse. §. XXIII.

Anno quidem CCI aut CCII. §. XXIV.

3 liber de fuga in persecutione, qui vindicatur A. CCII. §. XXV.

4. Scorpiace. Examinatur popularis sententia de hoc libro libris TERTVLLIANI ad MARCIONEM posteriore, deque eius aduersus hunc libris deperditis disputatur §. XXVI.

quo facto Scorpiacen efficitur scriptam esse A. CCIV. §. XXVII.

5. libri V., qui supersunt, adversus Marcionem. Quorum primus refertur ad A. CCVII. aut CCVIII., ceteros dubiae aetatis esse docetur §. XXVIII.

item TILLEMONTII opinio contraria castigatur. §. XXIX.

6. liber de pallio. Disputatur de *triplici praesentis imperii virtute*, cuius mentionem fecerat TERTVLLIANVS, et inquiritur in annum, quo GETA dignitatem Augusti suscepit §. XXX.

Deinceps dubia redditur BASNAGII et WALCHII sententia, qui A. CCXI. hunc librum editum esse voluerant, et A. CCVIII. libellus asseritur §. XXXI.

7. Denique probatur: librum ad SCAPVLAM sub initium imperii ANTONINI CARACALLI A. CCXI. prodiisse §. XXXII.

SECTIO III.

TERTIA CLASSIS LIBRORVM TERTULLIANI, quos, quamvis incertae aetatis sint, tamen constat scriptos ante eius defectionem fuisse.

1. liber de Oratione. De HERMAE Pastore a TERTVLLIANO vel laudato vel repudiato; de die Paschа et temporibus precum apud veteres Christianos. Spiritales et fideles apud TERTVL. non semper sunt Montanistae §. XXXIV.

2. liber de baptismo. Confutantur argumenta dissentientium, obiterque de triplici MARCIONITARVM baptismo ac libris Sibyllinis disputatur §. XXXV.

PAMELIVS et DVPINIVS castigantur. Puritas libri a Montanismo demonstratur. Montanistae feminis non dederunt potestatem publice docendi. Auctoritas Episcoporum et Laicorum in conferendo baptismo apud veteres Christianos. De LEVCIO, actorum PAVLLI et THECLAE scriptore, coniectura. §. XXXVI.

3) libri II. ad vxorem. Locum PAVLLI 1 Tim. III, 2. interpretati sunt veteres Christiani de Episcopo secundarum nuptiarum experte. Confutatur HEVMANNVS §. *XXXVII.*

QVARTA CLASSIS LIBRORVM, quorum non nisi Montanismus patet.

1. liber de patientia. Error TILLEMONTII §. *XXXVIII.*
2. liber de velandis virginibus, qui est facile librorum Montanisticorum primus §. *XXXIX.*
3. de exhortatione castitatis. §. *XL.*
4. de monogamia.
5. de ieiuniis
6. de pudicitia §. *XLI.*
7. aduersus PRAXEAM.
8. aduersus HERMOGENEM.
9. de anima liber §. *XLII.*
10. aduersus Valentinianos. Obiter de PROCVLO Montanista dicitur.
11. liber de praescriptionibus haereticorum. TILLEMONTIVS et WHISTONVS castigantur et contra hunc disputatur de appendice huius libri s. indice veterum haereticorum. Orthodoxos inter ac Montanistas nulla in fide dissensio fuit §. *XLIII.*
12. liber de carne Christi.
13. de resurrectione §. *XLIV.*

QVINTA CLASSIS librorum, quorum nec aetas nec doctrina certa est.

1. liber de poenitentia. Sententia Montanistarum de disciplina

plina quoad lapsos. §. *XLIV.*

2. liber aduersus Iudaeos, Obiter de expeditione SEVERI in Britannia, deque conditione Iudaeorum istius temporis in Palaestina.

Index et ordo omnium TERTVLLIANI librorum §. *XLV.*

De actis PERPETVAE et FELICITATIS, harumque Montanismo aduersus WHISTONVM differitur. Facultas miraculorum Christianis Ecclesiae Apostolicae data Saeculo II. videtur exspirasse. Paulli locus Ephes. IV, 7 seq. illustratur. Consensus Christianorum Iudaizantium cum ceteris quo fere tempore effectus? §. *XLVI.*

De MONTANISTIS Artotyritis. Quaedam contra WERNSDORFII V. C. sententiam modeste proponuntur §. XLVII.

et expenduntur WHISTONI argumenta, quibus Acta PERPETVAE et FELICIT. TERTVLLIANO, tamquam auctori, tribuerat §. XLVIII.

Postremo vsus vniuersae disputationis, exemplis quoque ex historia Christiana ductis demonstratur §. XLIX.

DISPV-

DISPVTATIONIS
DE
VERA AETATE AC DOCTRINA
SCRIPTORVM,
QVAE SVPERSVNT
Q. SEPTIMII FLORENTIS
TERTVLLIANI
SECTIO I
QVAE EST
DE LIBRIS IIS
QVORVM
ET AETAS ET ΟΡΘΟΔΟΞΙΑ CONSTAT.

§. I.

Postquam, depulsis superioris barbariei tenebris, bonis artibus atque disciplinis pristina elegantia restituta fuit, coeperuntque prodeuntibus annis omnia literarum genera maiori lumine collustrari: non defuerunt magno et excellenti ingenio viri, qui nec arte longa, nec maximis difficultatibus deterriti, quidquid industriae poterat impendi, ad illustrandam coetus Christiani historiam contulerunt. Namque hi, vt erant in

in ea sententia, absque veterum scriptorum seuera lectione, neque literarum elegantiae, neque arti bene accurateque sentiendi, neque ipsis sanctioribus disciplinis satis posse consuli: ita maxime excutiendos credebant eos, quorum lectione perspexerant ipsius doctrinae disciplinaeque Christianorum intelligentiam plurimum adiuuari posse. Sed, vt ipsorum temporum, ita etiam opinionum est quaedam vicissitudo, haec ex antiquitate sapiendi ratio paullatim apud nos adduci coepit in contemtum; maxime cum exstiterint, qui propter ea, quod solo sensu communi, a patribus velut hereditate relicto, virum doctum credebant effici, modo is esset adstrictus subtilitatis Geometricae legibus, instituerunt Theologiae tirocinia ipsa pro Theologia habere, et, contenti scientia sua tam parua, contemnere eos, quorum studia aut nullam habent nouitatis formam, aut acerrimam ingenii contentionem laboremque requirunt operosum. Vnde factum est, vt hodie plerisque sordeat omne id, quod habet aliquam notam antiquitatis, et quae ad sacrarum litterarum, veterum familiae Christianae doctorum et historiae Christianae intelligentiam pertinent, ea doctoribus vmbraticis, quam sagacioribus videantur digniora.

Haec saepius mente agitantibus nobis, dolentibusque cum iis, qui bonam mentem amant, temporum nostrorum infeliciratem, visum

visum est, horum aemulari diligentiam potius, quam ceterorum obscuram sapientiam. Ex quo igitur coepimus cogitare de eo, quo posemus consequi, vt aliquid conferremus ad aliorum vtilitatem; religioni nobis duximus, viam sequi popularem, quae sensim ducet nostros homines ad barbariem pristinam, repetendaque putauimus antiquitatis studia, quae cum opera, in diuinis literis diligentius colendis a nobis collocata, maiorem aliquam habeant coniunctionem. Propterea, cum, quoad licebat, etiam ad antiquiorum Ecclesiae doctorum libros assidue tractandos animum adiunxissem meum: dignus mihi in primis TERTVLLIANVS videbatur, cuius scripta accurata lectione persequerer. Namque dubito fere, an quis in antiquitate vniuersa sit eorum, e quibus doctrina moresque veterum Christianorum possunt intelligi, qui cum maximo ingenio maiorem coniunxerit rerum diuinarum humanarumque scientiam, maioremque in commentando subtilitatem *). Sed eius qui-

*) Ne quid forte videamur dedisse partium studio, vnius IO. DALLAEI testimonium adiicimus, quod, propter nimiam huius viri in doctores antiquioris Ecclesiae acerbitatem, hic non potest esse suspectum. Is vero TERTVLLIANVM vocat *scriptorem ad miraculum eruditum, acutum, diligentem, copiosum, testem denique rerum sui aevi Ecclesiasticarum locupletissimum*, (de cultibus religiosis Latinorum lib. I. cap. XI. pag. 60.)

quidem scriptoris vsum in veterum Christianorum institutis cognoscendis maxime impedit dubitatio, sitne quis eius liber tum scriptus, cum in Montanistarum partes discessisset, vel ante hanc defectionem a puriori Ecclesia? Quae quidem quaestio vehemeter exercuit doctorum hominum ingenia, mouitque eos ad inuestigandam librorum eius aetatem, vt haberemus certam viam e TERTVLLIANO intelligendi, quid veteres Christiani senserint, quidve minus? Sed dolendum est sane, horum alios, eosque praestantissimos viros, non nisi vnum alterumue libellum sumsisse sibi, alios leviter opus susceptum tractasse, alios praeiudicatis opiniombus a vero aberasse, quod credo consecuturos fuisse, si nudam veritatem nudi expeditique fuissent secuti. Quare cum legissem istius scriptoris libros atque religissem, et obseruarem, esse adhuc in iis, quae, ad librorum aetatem scriptorisque doctrinam pertinentia, disputari vtiliter possent, ab aliis non commemorata, ac plerorumque librorum aetatem accuratius posse constitui: consilium cepi beneuolo doctorum virorum iudicio subiiciendi ea, quae sumta e libris TERTVLLIANI ipsis, cum Scriptorum veterum libris aliisque antiquitatum monumentis collata, ad demonstrandam eam facere posse videbantur. Quam quidem disputationem ita instituemus, vt, praemissis quibusdam, quae vniuerse dicenda

cenda sunt, *primum* commentemur de libris iis, quorum et aetas constat et scriptoris doctrina, *deinde* in eos inquiramus, qui quidem non habent certas aetatis notas, sed Montanismi tamen conuinci possunt, vel ab ista suspicione liberari; *denique* eos, quorum aetas non maiorem habet claritatem quam indoles doctrinae, candide diligenterque excutiamus.

§. II.

Haec vero disputatio vniuersa vt occupatur duabus rebus, aetate librorum ac Montanismo: sic duplicem habet difficultatem non parvam, propterea, quod nec vbiuis doctrinae modus certa quadam via ac ratione reperiri potest, nec sunt vbique aetatis librorum certissima indicia. Nam si disputatur de eo: vtrum sit aliquis TERTVLLIANI libellus ante scriptus, quam defecerit ad Montanistarum familiam, aut postea? ea res duobus modis intelligitur: vel ex ipsa libri aetate, vel ex iis, quae in quovis libro continentur, Montanistarum doctrinis Sed ista superior ratio triplicem habet dubitationem. Nam horum librorum alii tam non ostendunt quaedam huius rei vestigia, vt aetas eorum plane sit desperanda; alii nil nobis relinquunt, nisi vt descendamus ad rationem coniecturalem; denique alii dant quidem suspicionem certam eius libri aetatem intelligendi, sed hoc nimirum

mirum est dubium, vtrum ista tempestate iam TERTVLLIANVS fecerit ab Ecclesia secessionem, aut eodem, vnde discesserat, redierit. Contra ea, altera aetatem definiendi ratio, praeterea quod non occurrit vbivis, dubitantes relinquit lectores, sitne iam tum facta TERTVLLIANI disiunctio ita, vt se receperit ad disciplinam MONTANI, an minus? sed in vno alteroue cum ea communiter errauerit, nec tamen iam tum miserit Orthodoxae Ecclesiae nuncium? Enimuero, sicut in eiusmodi loco, vbi vel nulla est vel dubia eius aetatis suspicio, alias, indicata ratione dubitandi, veterum illud: NON LIQVET interponemus, alias coniecturarum nostrarum rationem reddemus probabilem: sic, vt de locis reliquis singulis vniuerse dicamus, tria attingemus brevissime. *Primum* disputabimus de anno, quo ad Montanistas TERTVLLIANVS defecerit: (erit enim hoc, vnde constitui possit aetas eorum librorum, quorum non doctrina quidem, sed aetas, patet); *deinde* videbimus, vtrum TERTVLLIANVS numquam ad saniorem mentem redierit, sed manserit partibus MONTANI perpetuo addictus: *postremo* admonitiones quasdam vniuersas proponemus, e quibus quis intelligere possit, an sint e TERTVLLIANI libris nonnulli TERTVLLIANO Orthodoxo quidem sed ad Montanismum inclinanti, aut isti omnes, qui

eorum

eorum errorum dant suspicionem, TERTVLLIANO iam plane alienato adiudicandi.

§. III.

Quonam vero anno contigisse dicamus istam TERTVLLIANI defectionem? Hoc quidem nec potest ex ipsius nec ex alius cuiusdam scriptoris testimonio percipi; neque HIERONYMVS eo, quod dicit *) TERTVLLIANVM vsque ad mediam aetatem, Ecclesiae Presbyterum mansisse, iustam dat viam eius rei inueniendae, quoniam, quando natus mortuusue sit TERTVLLIANVS, quamue aetatem attigerit, non satis constat. Sed est aliqua huius rei reperiendae ratio sita in libris iis, quorum, qui se excipiunt temporis ordine, alii nulla habent Montanismi vestigia, alii haud pauca. Atqui nos ostendemus suo loco, nullos esse eorum, qui librum *de corona militis* antecesserunt, in quibus iste *de animae testimonio* vltimus est, e quibus quaedam Montanismi significatio eluceat, sed eius rei prima esse vestigia in libello *de corona militis*. Porro planum faciemus, hunc A. CCI. mandatum fuisse litteris, cum liber *de testimonio animae* sit fere versus finem A. CXCVIIII. compositus; vnde haud difficile erit intellectu, TERTVLLIANVM anno fere P. C. N. CC. se Montanistarum partibus adiunxisse.

At

*) in libro *de viris illustribus* cap. 53. in IO. ALB. FABRICII *Bibliotheca Ecclesiastica*. p. 125.

At maiori sane difficultati obnoxia est altera quaestio: vtrum, susceptis semel Montanistarum erroribus, numquam TERTVLLIANVS se ad pristinum coetum receperit? cuius tamen quaestionis affirmandae nulla est idonea ratio. Nam ea erat isti homini austero et supra modum rigido insita animi imbecillitas, vt, quo seueriora essent, quae ad vitam moresque pertinerent, eo magis ista adamaret, crederetque tanto magis probata fore Deo et consentientia cum Christianorum perfectione. Atque, vt solent ii, qui atra bile vexantur, tenaciores esse eorum omnium quae nutrimento sunt tristitiae, eorumque opiniones cum annis noua capere incrementa: ita est parum credibile, TERTVLLIANVM istas opiniones deposuisse, istamque reliquisse palaestram, in qua videbat operam se posse omnibus eius generis exercitationibus dare. Accedit ad hoc non omnium modo, qui de rebus ad eum pertinentibus commentati sunt, silentium de eo, quod ad religionem pristinam redierit, sed ipsa etiam AVGVSTINI professio *), omniumque consensus, qui eius auctoritatem in doctrinis probandis admittere noluerunt, quoniam ad peruerse sentientium partes se contulisset. Neque cum sententia nostra pugnant libri ii, quos eum vltimo fere loco scripsisse ostendemus, qui paene omnes aliquas habent maculas errorum Montani,

*) de haeresibus cap. LXXXVI.

taniſticorum adſperſas. Sit igitur haec ea in re praeceptio, vt omnes iſti libri exiſtimentur ab ipſo poſt diſcesſionem ſuam elaborati, quos apparet poſt alios fuisſe compoſitos, qui iſtorum errorum posſunt haud dubie conuinci.

§. IIII.

At ſunt permulti e TERTVLLIANI libris, quorum aetas cum curioſorum acumen ſubterfugiat, nulla habent niſi quaedam errorum Montaniſticorum veſtigia ſibi impreſſa, e quibus vix tamen poteſt iudicari, quosnam libros ante, quosnam poſt defectionem ſuam ad Montaniſtas conſcripſerit. Vnde factum eſt, vt, qui iſta ſubtilius quaerunt, TERTVLLIANVM *Montaniſtam* a *Montanizante* diſtinguendum esſe haud inepte dicerent. Sed aliter viſum eſt IO. GVIL. HOFFMANNO, doctisſimo olim in academia Vitebergenſi Hiſtoriae doctori, qui, cum in ea esſet ſententia, vt crederet, omnia TERTVLLIANI, quae ſuperſunt, in Montanismo ſcripta fuisſe, hoc ſibi demonſtrandum diſſertatione ſingulari ſumſerat (Vitebergae 1739). Is quidem pulchre perſpiciens, ſi iſta ſubtilitas admitteretur, demonſtrationem ſuam aliquid esſe detrimenti capturam, negauit hoc admitti diſcrimen posſe. „Carere enim hoc, ait, (§. IV. p. 17.) finibus certis, nec minus ambiguum esſe vultum Montanizantis et Montaniſtae, quam eius, qui aegro-

aegrotare incipit, et aegrotantis. " Ego vero vehementer dubito, quod, quid sibi velint, qui ita loquuntur, HOFFMANNVS intellexerit, aut intelligere voluerit. „Libros enim TERTVLLIANI Montanizantis, adiicit (p. 18.), forte esse eos, qui quidem MONTANI dogmatibus infecti sunt, sed recte sentientes non exagitant; Montanistae vero, qui haeresin non solum continent, verum etiam contra Catholicos defendunt." Sed nobis, iisque qui ita loquuntur, quod ego quidem sciam, omnibus, is dicitur μοντανίζειν, qui quidem errores cum Montanistis communes vel omnes habet vel aliquos, sed ita tamen, vt, spreta eorumdem sacrorum cum sua Ecclesia communione, nondum se contulerit ad eiusdem societatis sacra, quacum in nonnullis doctrinis consentit; cum Montanista sit, qui vtrumque fecerit. At ista quidem HOFFMANNVS certis carere, dicit, finibus. Sit ita sane. Sit vultus TERTVLLIANI Montanistae ac μοντανίζοντος ambiguus admodum. Quid ergo est? Nimirum non potest ex vultu TERTVLLIANI iudicari, fueritne is iam morbo lecto affixus, an leuiter tactus quodam eius impetu. Et id volebamus quidem, non posse ex leuibus quibusdam signis errorum TERTVLLIANO cum Montanistis communium tute coniici, quod iam ipsa Montanistarum sacra susceperit. Neque tamen id ita intellectum volumus, quasi spurium esset, aut

ſuſpectum omne argumentum, quod ducitur a doctrinis Montaniſtarum, in hoc illoue libro TERTVLLIANI obuiis, ad Montanismum iſtis libris aſſerendum. Sunt enim iſta in re fines et quaſi termini, quibus vtendum arbitror, ne de TERTVLLIANI Montanismo, ex eius libris cognoscendo, parum aut nimium philoſophari videamur. *Primam* igitur legem eius rei iudicandae hanc volumus eſſe, vt eiusmodi liber habeatur in eorum numero, quos, familiae Montaniſtarum iam adſcriptus, compoſuerit, in quo occurrit nomen *Pſychicorum*. Erat enim hoc veluti ſymbolum, quo ſocios Orthodoxae Eccleſiae a ſuae ſectae hominibus, quos *Spiritales* dicit, diſtingueret *); atque videtur tum fere confictum, cum eos, qui rigidam MONTANI diſciplinam non recipiebant, oppugnare inciperet. Neque id occurrit in vllo libro alio, quem temporis aut ipſius doctrinae ratio oſtendunt ante eius defectionem conſcriptum fuiſſe. Itaque non eſt dubitandum, quin ſint iſti libri, qui hoc nomen continent, omnes poſt ſuſceptum Montanismum exarati. *Alter* canon hic eſto: Omnis liber TERTVLLIANI ex MONTANI officina exiiſſe putetur, qui doctrinas tractat non quidem Montaniſtarum proprias, ſed tamen *Paracleti* cuiusdam auctoritate confirmatas. Nam-

*) V. TERTVLLIANVM *de Monogamia* cap. I. Edit. NIC. RIGALTII II. p. 673. B.

Namque hic erat capitalis Montaniſtarum error, quod *Paracletum* iactarent ſuo tempore veniſſe talem, qui et dux eſſet ad veritatem omnem, et noua rerum diuinarum ſcientia auditores ſuos imbueret ita, vt cognoſcerent, quae patefacta nulli eſſent antiquioris memoriae homini, et ad maximam perfectionem nunc adſpirare poſſent *). Atque huius *Paracleti* agnitionem ſe, ait, ſeiunxiſſe ab eccleſia **); neque hunc ſibi errorem perſuaderi vmquam paſſi ſunt Orthodoxae Eccleſiae ſocii, quoniam hic principalis erat doctrina eorum, qui MONTANVM, tamquam Magiſtrum, ſectabantur; quamuis ceteri errores Montaniſtarum omnes, ex aliqua parte, vel ipſo huius controuerſiae tempore, vel paullo poſt, receptae fuerint a nonnullis antiquae Eccleſiae ſodalibus. Sed quaemadmodum diximus, numquam depoſuiſſe TERTVLLIANVM errores eos, quos ſemel in ſchola Montaniſtarum didicerat, id ſponte ſequitur, quod iam fere diximus, eiusdem generis eſſe libros TERTVLLIANI, in quibus alios, haud dubie Montaniſtarum ſcitis infectos, excitauit. Atque his regulis addi poſſent aliae, quae libros Montanismi certiſſime arguunt, qualis eſt diſerta ipſius TERTVLLIANI profeſſio;

*) V. eundem in libro *de velandis virginibus* Cap. I. et libro IV. *aduerſus Marcionem* c. 22. p. 537. C.

**) *aduerſus Praxeam* cap. I. p. 634. D.

fesſio; ſed ſunt iſtae ita fere comparatae, vt diſputatione non egeant, aut non ſint certisſimae fidei. Quod ſi vero exſtiterit tale quid in quodam libro TERTVLLIANI, quod posſet referri ad vnam regularum iſtarum; absque erroris periculo licet exiſtimare, eum fuisſe tum editum, cum iam inimicitias cum Orthodoxa Eccleſia TERTVLLIANVS ſuſcepisſet. Sed iam ad libros ipſos veniamus.

§. V.

Ex his primum pertractandos promiſimus eos, quorum nec aetas nec doctrina dubia admodum esſet; in quibus ſunt primo loco ponendi, quos ſcriptos esſe conſtat eo tempore, quo calamitatibus multis Chriſtiani, regnante SEVERO AVG., propter doctrinam affigebantur a deorum cultoribus. Quorum aetas cum rite haud queat definiri, niſi figatur illud quaſi punctum temporis, quo coepta eſt adverſus Chriſtianos ſaeuitia: id agamus neceſse eſt, vt quonam haec tempore contigerit, perſpicuum omnibus fiat. Sed iſta vexatio quoniam bis exſtitit, primum quidem ante, deinde poſt leges SEVERI Chriſtianis inimicas: obſeruando didicimus, annum a Chriſto nato ducenteſimum libros TERTVLLIANI diuidere quaſi in duas claſſes, quarum altera complectitur hos, qui ſunt ab eo Orthodoxo, alteta eos, qui ſunt ab eo Montaniſta

nista perfecti. Nobis itaque cum sit propositum primum dispicere de eo genere librorum TERTVLLIANI, quorum aetas satis liquido constat, ita in hoc tractando versabimur, vt demonstremus, iam ante SEVERI edictum Christianos fuisse propter doctrinam vexatos, deinde, paucis quibusdam de ipsa huius prioris tempestatis ratione adsperfis, in annum, quo ista afflictio initium ceperit, accurate inquiramus.

§. VI.

Culpa, cur errauerint multi in definienda eorum librorum TERTVLLIANI aetate, qui tempore vexationis Seuerianae scripti sunt, in eo est haud dubie, quod non viderint, et ante SEVERI legem, qua suscipiendam Christianorum religionem, vetuit, deorum cultores vexasse Christianos. Ita enim factum est, vt, cum inter omnes constaret, anno demum P. C. N. CCII. hanc legem a SEVERO latam esse, libri isti omnes post istum annum inepte ponerentur. Atque fuerunt identidem nonnulli, qui hoc quidem cum libris ipsis pugnare perspicerent; sed neque hi veritatem attigerunt propterea, quod antiqua harum rerum monumenta nec candide nec prudenter, tamquam duces, secuti fuerant. Itaque maximis laudibus dignus est vir immortalis memoriae IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS ὁ μακαρίτης, qui, postquam eo, quo erat, acumine

mine animique candore ſummo, inquiſiverat in hanc rem diligentius, iſtum errorem exquiſitiſſimis argumentis exploſit *). Atque hic tantus vir effecit diligentia ſua, vt nobis in demonſtranda hac re multis laborandum non ſit. Quam ob rem ne careant tamen ii, quibus datum non eſt perlegere ipſam elegantiſſimam diſſertationem, grauiſſimis argumentis, quibus calamitates Chriſtianorum tempori ante SEVERI edictum SEVERI antegreſſo aſſeruit, ea veluti in compendio recitabimus, quibus aſſentimur omnino, iisque adjiciemus duo alia, quae ad confirmanda ea aliquid habere videntur firmitatis. Atque is primum duxit ab eo, quod ipſe TERTVLLIANVS in *Apologetico*, et maxime in vniuerſa illa de legibus diſputatione, tot ſigna ediderit, quibus nondum legibus contra Chriſtianos SEVERVM pugnaſſe indicat, vt nullus plane dubitandi locus ſuperſit. Alterum ex libro *ad martyres* (c. 4.) in quo commemorat

*) in *commentatione de aetate Apologetici* TERTVLLIANI *et initio perſequutionis Chriſtianorum ſub* SEVERO, quae inſerta eſt Vol. I. Diſſertationum eius ad Hiſtoriam Eccles. pertinentium. pag. 1. ſeqq. Daturum etiam ſe promiſerat vitam TERTVLLIANI librorumque eius chronologiam accuratiorem ea, quam tradidit ALLIXIVS; (V. theſaurum Epiſtolicum Lacrozianum Tom. I. p. 284.) ſed id conſilium poſtea ipſi eripuerunt graviores ſanctioris muneris curae, vt fatetur in Addendis ad Vol. I. diſſ. Hiſt. Eccl. p. 752.

morat TERTVLLIANVS supplicia, quibus ALBINI amicos affecerat SEVERVS, quod factum esse A. P. C. N. CXCVI. aut, quod mallem, CXCVII, rectissime MOSHEMIVS monuit. Tertium ipsi obtulerunt CLEMENTIS ALEXANDRINI verba, (Strom I II Ed. Colon. p. 414. B.) quibus confitetur iam tum tormentis exagitari Christianos, cum Stromatum libros componeret, quod fecit fere eodem, quo diximus, tempore Quartum dedit aetas, in quam grauissima supplicia a Scillitanis Martyribus sumta incidunt, CLAVDIO iterum Consule, qui cum C. AVFIDIO VICTORINO fasces A. P. N. C. CC. tenuit; quibus denique argumentis aliquid auctoritatis arbitratur ex ipso OROSII ac FRECVLPHI testimonio accedere. Atque nos non sumus ii, qui ista quidem ad rem demonstrandam non sufficere arbitraremur, ea enim omnia putamus rem extra omnem dubitationem ponere. Placuit tamen, ne quid videamur praetermisisse, quod ad rem confirmandam facere quodam modo posset, duo alia adjicere argumenta, quae, quamuis minora esse Moshemianis facile patimur, non tamen omnino reiicienda esse videntur. *Vnum* est hoc, quod AELIVS SPARTIANVS de CARACALLO dicit *): *Septennis puer, cum colluforem suum puerum,* OB IVDAICAM RELIGIONEM, *grauius verberatum audiisset, neque patrem suum, neque patrem*

*) in vita ANTONINI CARACALLI. cap. 1.

patrem pueri, vel auctores verberum diu respexit. Ex quo loco apparet, quod pater pueri istius non ipse eum propter Iudaicam religionem castigauerit, sed quod ipse SEVERVS puerum iusserit ab aliis castigari. Nam qui potuisset CARACALLVS succensere patri SEVERO, nisi is ipse hoc voluisset fieri? Itaque aliquis datur locus suspicioni, iam tum, cum CARACALLVS septem esset annorum, vi pugnatum esse aduersus Christianos; quamuis anno demum P. C. N. CCII SEVERVS leges contra horum Iudaeorumque religionem tulerit. At septimum annum egit CARACALLVS anno a nato Sospitatore nostro CXCV, quod est facile demonstratu. Norunt enim omnes, mortuum esse SEVERVM A. CCXI, cui succedens CARACALLVS interfectus est, cum supra VI. annos regnasset *); A. CCXVII. Is vero cum diem supremum obiret, annum attigerat XXVIIII: quo numero detracto summae annorum eius emergit annus CLXXXVIII, quo natus sit oportet; vnde consequitur, CARACALLVM A. CXCV. septimum annum egisse, quo tempore longe posterius est SEVERI edictum. Neque puto quemquam fore, qui nobis opponat, longe diuersam esse Christianae ac Iudaicae religionis rationem, nec posse demonstrari, Christianos fuisse a deorum cultoribus vexatos, quoniam

*) V. DIONEM CASSIVM Histor. Roman. libr. LXXVII. Edit. REIMARI Vol. II. p. 1314.

niam castigati fuerint, qui se Iudaicae religioni addixerant Nam qui ita sentiunt, eos necesse est fingere, quod vulgus etiam Christianos iam satis a Iudaeis distinxerit (ab hoc enim dicimus istum tumultum fuisse excitatum) Hoc vero discrimen cum ante illud tempus, quo Seuerus imperio potiretur, ne ab iis quidem sit obseruatum, qui nosse vtramque religionem optime poterant; nec sciam, vnde probare quispiam possit, eos SEVERI tempore magis perspicaces fuisse quam ante, numquid concitatam multitudinem sub SEVERI imperio id quidem curasse aut distinxisse satis putabimus? Sed si maxime dubium est illud, tamen apparet adesse exempla odii Gentilium in eos, qui erant a deorum cultu alieni, ipsumque SEVERVM non plane ab odio isto abhorruisse. Quod si Seuerus id fecit in pueris, quibus condonare solemus saepissime, quae adultis nequaquam conceduntur; vix dubito, quin praesides auaritia plebisque tumultu eo adducti fuerint, vt grauius in Christianos animaduerterent. *Alterum* argumentum desumam ex libro, quem TERTVLLIANVS scripsit ad SCAPVLAM*). *Clarissimas feminas*, inquit, *et clarissimos viros* SEVERVS, *sciens huius sectae* (sc. Christianorum) *esse, non modo non laesit, verum et testimonio exornauit, et populo furenti in nos palam restitit.* SEVERVS dici non potest popu-

*) cap. 4. pag. 87. D.

populo furenti in Christianos palam restitisse, cum iam edictum contra Christianos constituisset. Namque id quo minus credamus, impedit durus et quasi ferreus SEVERI animus, a quo certe is impetrare non potuit, vt legem semel latam rescidisset. Et hoc ipsum, quod TERTVLLIANVS dicit, plebem exagitasse Christianos, et inuito quidem SEVERO, nonne demonstrat, id factum non esse SEVERI legibus? Habemus igitur et hic non obscurum testimonium de eo, quod ante eius edictum Christiani maximis calamitatibus afflicti fuerint.

§. VII.

At nunc discutiendus est alter iste locus de tempore, quo prior haec tempestas contigit; si prius edixero, quaenam causae huius facinoris vulgi aduersus Christianos videantur fuisse. Atque hoc cum de omni, contra Christianos facto a plebe tumultu constat, eam his, tamquam publicis generis humani hostibus, omne calamitatis a diis immissae genus tribuisse: tum illud nimirum patet ex TERTVLLIANI scriptis, hoc fuisse in causa, vt nunc Christianos maxime insequeretur *). Enimuero, quae SEVERVM inter et NIGRVM intercedebat, maximarum rerum aemulatio, non solum videtur quibusdam displicuisse, qui non SEVERVM sed NIGRVM contra DIDIVM IVLIANVM AVG.

*) Cf. Apologet. c. 40: ad nationes lib. I. c. 9. cet.

AVG postulauerant *); sed illud etiam, quod aduersus ALBINVM suscepit, bellum omnium animos vehementer concitauit **). Itaque cum prostrato vtroque, SEVERVS omnes eos exstinguere pararet, quos noverat a partibus NIGRI ALBINIQVE steterisse, optima se offerebat plebi occasio, Christianos tamquam rei publicae ac imperatoris hostes, violandi. Atque hi homines sibi videbantur hoc eo rectius exsequi posse, cum Christianos ipsis etiam diis infestos crederent, de quibus eo bene mereri posse putabant, postquam dii ipsis haec quasi otia fecerant. Et ipsam hanc opinionem Christiani vulgo persuadebant eo magis, quod plane nec ludis ac celebrationibus, propter reportatam SEVERI ab hostibus victoriam institutis, vellent interesse ***), nec iurare per Principis genium ****), nec diis pro salute eius supplicare *****). Eo ipso autem tumultu vulgus facile eodem poterat adigere Praesides, qui non admodum alieni erant ipsi ab hoc crudelitatis genere. Namque hi eam sibi legem, veluti per manus traditam, praescrip-

*) V. HERODIANVM libr. II. cap. 8. III. cap. 5. SPARTIANVM in vita NIGRI c. 2.

**) V. DIONEM apud XIPHILINVM I. LXXV. cap. 4. p. 1258. B.

***) V. TERTVLL. de spectaculis. cap. 1. et alibi.

****) Idem in Apologet. c. 32. et libro I. ad nationes. cap. 17.

*****) Id. Apolog. c. 10. 29. seqq.

scripserant, vt, qui semel in ius vocati essent, Christiani, nisi a sacris suis discederent, nequaquam dimitterentur *) cuis rei testem habemus ipsum TERTVLLIANVM, qui, eam ob causam, de recte interpretandis his legibus ex instituto adversus eos disputauit **). Ac istam quidem Christianos vexandi occasionem eo libentius arripiebant quaestuosi Praesides, quo certius eam, viderent, fisco suo haud exiguum emolumentum esse allaturam. Quod me non finxisse scio ex RVTILII martyris exemplo ***), quem suspicor raptum esse in iudicium, cum nondum SEVERI, sed antiquis legibus, iudicium fieret ****). Eo enim adducebantur

*) V. EVSEBIVM Hist. Eccles. lib. V. c. 21. Edit. READING. p. 240.

**) in Apolog. c. 4. seq.

***) apud TERTVLL. de fuga in persecutione cap. 5. p. 693. A.

****) Nempe hic liber scriptus est eo tempore, quo grauiores calamitates Christianis exspectandi erant a deorum cultoribus (coll. cap. I.) h. e. vt postea dicetur, cum edictum SEVERI in lucem prodiisset, timerentque Christiani de securitate sua. Sed istum libellum cum TERTVLLIANVS componeret, iam neci datus erat RVTILIVS, qui primum aliquoties salutem petierat fuga, postea nummis sibi pacem comparauerat, sed denuo captus ad supplicium rediit. Quod ergo necesse est factum esse ante iniquam SEVERI legem, et nouum dat argumentum eius quod diximus, Christianos sub SEVERO ante eam capitis damnatos fuisse.

tur multi Christianorum, qui opibus vitaeque suae timebant, vt, quod alia declinare via non poterant, periculum, oblata pecunia averruncarent Quas saeuitiae Praesidum vulgique causas si mente complectimur: erit sane, ut sciamus tempus, quo orta est haec prior tempestas, quando, quo anno haec speciosa Christianos laedendi occasio extiterit, demonstrauimus.

§. VIII.

Ad hunc vero inuestigandum primum ipsis vtamur his, quas enumerauimus, calamitatum caussis. Illud enim, quod quasi ansas vulgo dabat ad impugnandam Christianorum familiam, erat SEVERI studium conquirendi omnes eos, quos cum NIGRO aut ALBINO adversus se stetisse compererat. Quod quoniam factum est, cum, ALBINO exstincto, Roman victor rediisset, (tum enim grauissima in eos supplicia constituit*): operae pretium est videre, quonam anno ALBINVS cum vita imperium deposuerit? Atque in isto definiendo tantum operae curaeque iam positum esse videmus a MOSHEMIO**), vt paene isti labori possemus supersedere, nisi quaedam essent in promtu, quae dici posse contra viderentur. Itaque cum-

*) V. DIONEM l. LXXV. c. 7. p. 1262. D. HERODIANVM lib. III. c. 8. et SPARTIANVM in Seuero c. 12. 13.

**) in disf. laudata §. XX. seqq.

cum hic se offerat occasio, in dubitationem vocandi opinionem quamdam popularem; atque ipsa res postulet, vt paullo aliter rationes subducantur: seruato ipso argumentorum genere, quod adhibitum est a summo viro, candide disputabimus, quae consentanea sunt veritati ipsi; et quanam in re sentiamus diversa, salua pietate in tantum virum, cuius nomen nobis etiam est post mortem venerabile, adiecta disentiendi ratione infra notabimus. Cum ad imperium venisset SEVERVS, videretque PESCENNIVM NIGRVM in Syria copias parare, quibus se sibi opponeret, primum, ne ex vtraque parte premeretur, ALBINVM Britannici exercitus ducem fecit, eique et numos decreuit, et alia honoris monumenta. Posthac, lecto per Italiam milite et classe exornata, elapso fere mense Junio *) A. CXCIII. contra

*) Namque incipiente Junio A. CXCIII. Romam SEVERVS venit; quod patet tum, cum dies LXVI, quos imperio DIDII IVLIANI DIO (lib. LXXIII. c. vlt. p. 1240.), aut II menses ac 5. dies, quos ei SPARTIANVS (in Iuliano. c. 9.) tribuit, numeremus, incipiendo a V. Calend. Aprilis h. e. XXVIII. Martii, quo die interfectum esse Pertinacem IVLIVS CAPITOLINVS (in vita Pertinacis. c. 15.) refert. Apparet, inde non minus, SEVERVM fere die Iunii 2. summi imperii clauum sumsisse, ex quo die deducendos simul esse Tribunitiae Potestatis terminos non demonstrabo pluribus, quoniam id quidem facere memini c. G. SCHWARZIVM

tra NIGRVM profectus est Hic, cum SEVERI duces A. CXCIII, manum cum NIGRI militibus conseruissent apud Cyzicum, superiores fuerunt. Eadem fortuna vsi sunt anno sequenti cum pugnatum esset in Nicaeae ac Cii angustiis. Postremo, anno fere CXCVI, cum SEVERIANI, casu castello in Tauro occupato, in Ciliciam irrupissent, vincitur NIGRI exercitus apud Portas Cilicias, neque ita multo post ipse PESCENNIVS interficitur. Sed hic ego quosdam miraturos suspicor, quid sit, quod me commouerit, vt calculos hic plane diuersos ab aliis ponerem, cum sint, qui vltimam hanc pugnam A. P. C. N. CXCIII. factam existiment, vniuersi. Quam ob rem mea referre puto, vt recta argumenta producantur, quibus euinci possit, rationes a nobis rectissime fuisse subductas. Primum igitur vellem obseruari cognomen Imperatoris III IV. V. VI. VII. VIII, quod datum esse SEVERO in numis perspicitur. Hoc eum exornatum necesse est intra tempus, quod ab exordio imperii eius effluxit ad illud, quo superauit ALBINVM, quia eum legimus, cum imperium

ZIVM, elegantissimum virum, in diss. *de numeranda tribunitia potestate Augustorum Caesarumque Rom.* Obs. IV. Quae cum ita sint, haud obscurum est tempus, quo SEVERVS Roma profectus est, si quidem recte commemorauit SPARTIANVS (in vita Seueri c. 8.), eum Romam intra XXX, dies, quum eo venerat, reliquisse.

perium susciperet, in numis imperatorem II. *), victo autem ALBINO, Imperatorem VIIII. appellatum **). Enimuero, cum nomine *Imperatoris*, quod numeris distinctum in numis reperitur, tum Romanorum Augusti exornati fuerint, cum quid in bello eo nomine dignum gesisisent ***): age! videamus, quo referendum sit hoc intra illud tempus sexies repetitum cognomen *Imperatoris*. Nempe in isto temporis spatio ter legimus SEVERVM a NIGRI militibus victoriam reportasse, tresque gentes Osroenorum, Adiabenorum et Arabum subiecisse Romanorum potestati. Igitur cum hos, iam deuicto PESCENNIO, subegerit, referamus cognomen *Imperatoris* VI VII VIII ad victos hos populos ****), ac nomen *Imperatoris* III propter proelium Cyzienum, IV. ob pugnam in Nicacae ac Cii augustiis, V. deni-

*) Vide VAILLANTII numismata Impp. Rom. Tom. II. Ed. 3. Paris. p. 238.

**) apud MEDIOBARBVM in Impp. Rom. numism. ad a. 197. Ed. Mediol. 1730. p. 271.

***) De ea re v. DIONIS CASSII Rom. Hist. lib. XXXX. c. 44. p. 372.

****) In numis a MEDIOBARBO ad a 196. excitatis. p. 270. cognomen *Imp.* VI. et VII. coniungitur cum Tr. Pot. III. et nomine *Parth. Arab. Parth. Adab.* aliisque signis victoriae. Pariter *Imp.* VIII. p. 271. cum *Victoria Parthica* et Tr. P. IV.; ac cum iisdem, tituloque *Arabici*, *Adiabenici*, in inscriptione apud MVRATORIVM in nouo thesauro vet. inscript. Tom. I. p. 244. legitur.

denique ob NIGRVM apud Portas Cilicias proſtratum, SEVERO decretum eſſe dicamus. Iam diſpiciamus, cui tandem numero Trib. Pot. adiiciantur ſingulae nominis Imperatorii notae; nam, ſi eum cognouerimus, ſponte ſe offeret is annus, cui quaeuis pugna aſſignanda eſt *). Atqui cognomen Imp. III. quod diximus ſignum eſſe victoriae Cyzicenſis coniunctum reperimus cum Trib. Pot II. **); haec vero numeranda eſt ab altero die Iunii A. CXCIIII. ad eumdem diem anni ſequentis (coll not. z. huius ſectionis et SCHWARZII diſſ. laud. Obſ. II.); conſequens igitur eſt, hoc proelium primum ad poſteriorem partem A. CXCIII. aut priorem A.

*) Sed forſitan quispiam dixerit, hos numos non eo excuſos fuiſſe tempore, quo SEVERVS victor ex pugnis cum NIGRO rediit, ſed poſtea demum, ipſumque SPARTIANVM (in vita Severi c. 9.) ſignificare, quod SEVERVS non niſi poſt alterum proelium in auguſtiis Cii et Nicaeae ad Senatnm hac de re ſcripſerit. Sed praeterea, quod SPARTIANVS diſcrepat aliquantum in narranda hac re a ceteris, iisque primariis, ſcriptoribus, nec niſi de prima alteraque pugna loquitur in iſto loco; negari vix poteſt, quoniam cognomen Imp. III. IIII. V. cum diuerſo plane Trib. Pot. numero coniungitur, hoc Trib. Pot. ſigno indicari annos eos, quibus ipſam ab hoſtibus victoriam ter reportauit.

**) in LAVR. BEGERI Continuatione theſauri Brandenburgici p. 690, VAILLANTII numiſm. Impp. Rom. T. I. p. 221. 22. et MEDIOBARBO ad a. 194. p. 269.

A. CXCV. esse referendum. Porro numus apud VAILLANTIVM SEVERVM Imp. IIII. Tribunitiamque potestatem III. sustinentem exhibet, et sunt eius generis numi plures apud MEDIOBARBVM; ergo incidit altera pugna in Nicaeae Ciique auguſtiis in A CXCV. posteriorem, aut sequentis anni superiorem partem. Quapropter cognomen Imp. V., et vltima victoria a NIGRO reportata, non videtur fere alii anno posse vindicari, nisi huic quem diximus A. CXCVI. Cum igitur PESCENNIVM initio fere eius anni prostrauisset SEVERVS, pergit in Mesopotamiam, indeque contra Osroenos, Adiabenos et Arabes exercitum ducit *). Facta haec omnia esse oportet sex fere mensibus, (nisi mavelis, vltimam partem anni praecedentis NIGRO mortem attulisse), cum, hoc anno vertente iam contra ALBINVM profectum esse SEVERVM, ratio ipsa temporis suadeat, vt suo loco apparebit. At quo fiiri pacto potuit, vt mensibus tam paucis tot tantasque bellicosissimas gentes subegerit? At istud quidem potest animo pulchre concipi; nam ipse DIO (c. 2 libro cit.) harum gentium vrbes a tribus SEVERI ducibus, non a SEVERO ipso, captas esse ait; quod factum forsitan est, cum iam ALBINO obuiam SEVERVS iuisset, nam, eo discesso, LAETVS se his aduersariis opposuit, vt videtur ex eodem DIONE (c. 9); aut iam aliquantum eo

*) DIO libr. LXXV. init.

eo tempore, quo NIGRVM SEVERVS perſequebatur, plurima enim tum fecit per duces ſuos: aut fuit SEVERVS qualicumque barbarorum ſuppreſſione contentus. Ac videtur certe SEVERVS noluiſſe has ſibi gentes prorſus ſubiicere, nec iam tum ſubiecisſe, cum, ducibus contra hoſtes emiſſis, aliena Niſibi ageret, ipſeque demum poſt victum ALBINVM has prouincias ſummo impetu adoriretur; quod ipſo confirmari poſſet HERODIANI ſilentio, qui de his gentibus iſto tempore victis nihil habet omnino. Itaque haec prima lex ſanciatur, ante finem A. CXCVI. SEVERVM contra ALBINVM non fuiſſe profectum *). §. VIIII.

*) Atque hic nos non audemus plura ex ordine rerum geſtarum, quas commemorauimus, deducere, ſed poſtea dabimus. Iudicari autem ex dictis poteſt de eo, quod placuit MOSHEMIO τῷ μακαρίτῃ (in laud. diſſ. §. XXI.), A. CXCIIII. periiſſe Nigrum A. CXCV. legatos in Galliam ad interficiendum ALBINVM a SEVERO miſſos, et hoc anno prope exeunte inſidias eorum deprehenſas fuiſſe; quo facto, A. CXCVI. citiſſime in Galliam SEVERVS veniſſet. Vix crediderim, (nam de tempore proeliorum iam dixi quid ſit ſentiendum) legatos iſtos integro fere anno adquieuiſſe, antequam litteras ALBINO tradidiſſent, et, cum A. CXCV. prope exeunte demum detectae hae fuiſſent inſidiae, SEVERVM, qui currentis ſimilior quam proficiſcentis recte dicitur a MOSHEMIO, vel integrum fere annum CXCVI. otio trans-

§. VIIII.

Alterum nec mediocre telum ad hanc rem exſequendam exiſtimari debet tempus, quo expugnatum Byzantium eſt. Namque hoc DIO ait (l. LXXIIII. c. 14. p. 1254.) occupatum eſſe a SEVERI militibus, cum is in Meſopotamia commoraretur h. e poſtquam NIGRVM ſuperauerat, ac prius quam pergeret aduerſus ALBINVM. ¡Atqui Byzantinos fame demum in deditionem redactos eſſe, cum tres integros annos fuiſſent in obſidione, idem DIO memoriae prodidit (lib. cit. c. II. p. 1252.); quare cognoſcemus annum, quo SEVERVS in Meſopotamia verſatus eſt, cum viderimus, quando iſta obſidio exordium ſumſerit. Sed eius initium coniunctum arbitror cum initio ipſius expeditionis SEVERI contra PESCENNIVM A. CXCIII, quod intelligi poteſt ex eo, quod vix eſt credibile, SEVERVM, cum NIGRO occurreret, a tergo relicturum fuiſſe fortiſſimam vrbem, quam ipſi NIGRI milites tenebant et quo aduerſis rebus ſe recepturi fuiſſent; idemque cum re ipſa optime conſentit. Fac ſcilicet: menſe fere Septembri A. CXCIII.

transegiſſe, vel ALBINO tantum concesſiſſe temporis, vt vires colligeret; cum ad veritatem ſit multo propenſius, ſi quis dicat, quod A. CXCVI. prope vertente SEVERVS profectus ſit aduerſus ALBINVM, neque multum temporis praetermiſerit, quo bello dimicare cum ALBINO potuiſſet.

CXCIII. SEVERVM huius oppugnationis initium per milites fecisse (Roma enim, Iunio paene praeterlapso, discesserat (§. VIII. n. z.); incidet sane expugnatio ipsa, si post triennium integrum facta est, in Septembrem A. CXCVI, quo tempore SEVERVM in Mesopotamia fuisse apparet ex iis quae in superioribus dicta sunt. Quam ob rem non est necesse, vt a natiua potestate verborum ἐπὶ ὅλον τριετῆ χρόνον recedamus, quo se a TILLEMONTIO adduci passus est MOSHEMIVS ὁ μακαρίτης, cuius interpraetatio, ni fallor, vi quidem verborum non facit satis. Itaque cum mense fere Septembri in Mesopotamia versatus fuerit SEVERVS, nisi A. CXCVI. iam in finem inclinato, in Galliam venire non potuit. Neque vere postea quam in Mesopotamia SEVERVS fuerat, usquam legimus, eum contra Osroenos, Adiabenos, Arabesque fuisse profectum; hos enim, teste DIONE (l. LXXV. c. 3. p. 1257.); cum Nisibi, in vrbe Mesopotamiae, SEVERVS otium sibi daret, LATERNVS, CANDIDVS atque LAETVS, SEVERI duces, subegerunt. Vnde efficitur, famam de seditione ALBINI ad SEVERVM in Mesopotamiam fuisse allatam. Enimuero non abhorret, SEVERVM, qui celeritate consilii in primis vtebatur, statim, deuicto NIGRO, misisse, qui ALBINO, occasione allatarum litterarum, insidias facerent, et hae quidem repente detectae sunt; quocirca magis

magis apparet, fere Anno CXCVI. vertente SEVERVM in Galliam concesſiſſe *).

§. X.

Sed iſta quidem vt nondum dant certam viam accurate cognoſcendi annum ALBINO fatalem propterea, quod nondum apparet, quamdiu iſta de ſumma imperii dimicatio durauerit, magis, opinor, nobis ſcrupulum eximet tempus dignitatis Caeſareae CARACALLO collatae, ex quo efficietur, ALBINVM A. CXCVII. periiſſe **). Sunt enim antiqui-

*) Aliam viam ingreſſus eſt MOSHEMIVS §. XXII. Namque A. CXCVI., inquit, expugnatam eſſe Byzantinorum vrbem; hanc vero, HERODIANO teſte (lib. III. c. 6.) nondum fuiſſe in poteſtatem Imperatoris redactam, cum ALBINO occurreret; igitur eum eſſe contra ALBINVM A. CXCVI. profectum. Quod argumentum, haud nego, eſſe maiorem vim meo habiturum, niſi HERODIANI verba pugnarent cum iis: quae tradita ſunt a DIONE CASSIO, qui SEVERVM ait nuncium de capto Byzantio in Meſopotamia accepiſſe. Atque is merito audiendus eſt et repudianda HERODIANI auctoritas, quod iam egregie monuit V. C. H. s. REIMARVS in not. ad DION. CASS. p. 1252. §. 70. et 1256. §. 1.

**) Uſi ſumus ad hanc rem efficiendam dignitate CARACALLI Caeſarea, cum MOSHEMIVS maluerit ad eam rem dignitatem *Augſti* CARACALLO collatam adhibere. Sed iſtius Clariſſimi Viri partes deſerere hic ſatius eſt viſum. Nam (p. 66.) CARACALLA, inquit,

tiquitatis monumenta quaedam, qualia PAGIVS *), exque GVTHERIO MOSHEMIVS attulit (in disſ. laud. §. XXIII.), in quibus LATERANO et RVFINO COSS. CARACALLVS ex S. C. CAESAR DESTINATVS vocatur. At illo cognomine quamuis iam CARACALLVS a patre tum exornatus fuiſſet, cum SEVERVS aduerſus ALBINVM proficisceretur **); iſtud tamen nusquam reperimus a Senatu confirmatum eſſe prius, quam victor SEVERVS Romam, proſtrato ALBINO, rediiſſet; tum enim SEVERVM legimus *Caeſarem* BASSIANVM *filium ſuum* ANTONINVM *appellari iuſſiſſe* (ap. SPART. l. c. c. 14.) At enim LATERANVM et RVFINVM Conſules fuiſſe A. P. N. C. CXCVII. docent faſti vniuerſi; itaque ſit hoc, ALBINVM eodem anno ***) cum vita imperium amiſiſſe. Quae

inquit, Auguſti dignitate ornatus eſt eo anno, qui proelium Lugdunenſe eſt conſecutus. Itaque cum conſtet, eum hanc A. CXCVIII. accepiſſe, ALBINVS A. CXCVII. occubuit. Huius argumenti, dubito fere, an ſuperior propoſitio ex omnibus, quos habemus, Scriptoribus ſit manifeſta, niſi eadem eſſe cenſeatur cum altera: de eius dignitate *Auguſti* A. CXCVIII. ſuſcepta, quae conſentit cum omnibus eius rei ſignificandae monumentis.

*) in Critica Annalium Eccleſ. Caeſaris Card. BARONII, Saec. II. ad a. C. CXCVII. num. 2. Edit. Pariſ. 1689. pag. 88.

**) V. SPARTIANVM in SEVERO C. 10.

***) et XI. quidem Calend. Mart.; quaemadmodum habet SPARTIANVS l. c. c. 11.

Quae cum ita sint, patet quod efficiendum promisimus, ex hac occasione plebi ad Christianos vexandos post ALBINI interitum nata, istas priores Christianorum calamitates A. CXCVII. initium cepisse.

§. XI

Accedimus ad alterum argumentum, ex quo initium istius tumultus a plebe excitati definire volebamus, locum istum quidem superius (§. VI.) productum e libro TERTVLLIANI ad SCAPVLAM, in quo SEVERVS dicitur: „clarissimas feminas clarissimosque viros sectae Christianae non modo non laesisse, verum et exornasse testimonio, populoque in Christianos furenti restitisse." Quod cum SEVERVS non fecerit eo tempore, quo iam edictum opposuerat religioni Christianorum, quemadmodum ibi disputauimus; assignandus est ei rei annus, quo SEVERVS nondum hac lege molestus fuerat Christianis. Neque is tali modo clarissimis quibusdam huius familiae hominibus tum videtur gratificari voluisse, cum, victo ALBINO, bellum Parthis aliisque Orientis gentibus intulisset, a quo perfecto non rediit prius, quam hoc idem edictum aduersus Christianos promulgasset. Namque tum quidem tot erat bellis cum fortissimis nationibus implicatus, vt credi vix possit, eum de istiusmodi rebus cogitasse. Sed verba etiam TERTVLLIANI sunt ea, vt facile appareat,

reat, SEVERVM non has quidem sed alias tamen feminas virosque clarissimos eo tempore laesisse, a quibus is Christianos cupiebat discerni Atque ego non video, ad quale tempus possit vis istis illata referri, nisi ad id, quo *interfectos* SPARTIANVS refert (in Seu. c. 12.) *innumeros* ALBINI *partium viros, inter quos multi principes ciuitatis, multae feminae illustres fuerunt:* propterea, quod ista in re inter hos scriptores est vel in verbis quaedam similitudo. Ego vero vix dubito, quin SEVERVS horum Christianorum quasi tutelam susceperit, eosque ornauerit testimonio tali, quo doceret, eos non esse ex amicis ALBINI, ne populus, causam Imperatoris praetendens, hos Christianae religioni addictos insequeretur, raperetque in iudicium, quibus, nisi quod Christiani essent, aliud nihil vitio verti poterat. Verum igitur sit illud, statim post mortem ALBINI et ante SEVERI profectionem contra Parthos h e. A. CXCVII populum Christianos vi aggressum fuisse.

§. XII.

Denique et hoc non leue est argumentum nostrae sententiae, quod appareat, Apologeticum TERTVLLIANI non posse litteris mandatum esse, nisi ante illas leges SEVERI; de qua re nemo dubitare potest, qui cogitate hunc libellum tractauit. Sed poterit ex iis, quae postea disputabimus, nullo

lo negotio intelligi, istam defensionem veterum Christianorum aetate inferiorem esse libris eius *ad martyres*, *de spectaculis*, *deque idololatria*. Vicissimque me spero ita effecturum, quod istae religionis Christianae vindiciae scriptae sint sub initium A CXCVIIII, vt nemo vel mediocri in his iudicio praeditus de ista re dubitare possit. Quare tum apparebit, libros *de spectaculis* atque *de idololatria* nulli alii anno posse assignari, nisi A. CXCVIII. Enimuero TERTVLLIANVS martyres proprio libello ad constantiam concordiamque hortatus est prius, quam se accingeret ad scribendos hos duos, quos diximus, libros. Itaque necesse est dicere, librum *ad martyres* fere A. CXCVII. in lucem editum fuisse. Quae vna res nostram sententiam de anno, quo haec superior vexatio Christianorum incepit, ponit extra omnem dubitationem. Namque hi, quibus librum obtulit, iam fuerunt propter religionem Christianam in vincula coniecti, *martyresque* isti *designati* argumento sunt, tum deorum cultores vim Christianis intulisse. Sed obiter haec fere; nunc plura de libris his ipsis dabimus.

§. XIII.

Est igitur inter huius generis libros is primus, quem TERTVLLIANVS *ad martyres* perscripsit. Cuius libri argumentum ipsum iam tum susceptas aduersus Christianos inimici-

micitias demonstrat, est enim *designatis martyribus* dictum (coll. c. 1); modo constituendum est id, fuerintne isti ante aut post SEVERI edictum in carcerem coniecti? Atque illud mihi magis placet pluribus de causis Primum, quoniam Christianos non Imperatoris sed Procunsulis iudicia sustinere dicit (c. 2 p. 156. A). Quod quidem, haud nego dici etiam a TERTVLLIANO potuisse, si Praesides adhibiti fuerint ab imperatore legibus contra Christianos dimicante, propterea quod Praesides eas exsequebantur in provinciis: sed tamen ex eo primum oritur haud inepta suspicio, ipsa hac violentia eo tempore Praesides magis vsos fuisse quam ipsum AVGVSTVM At si istud argumentandi genus videatur in vtramque partem posse disputari; hanc controuersiam dirimit haud dubie id, quod est ad calcem nostri libelli, vbi: *ad hoc quidem*, inquit, (patiendum in caussa dei), *vel praesentia nobis tempora documenta sint, quantae qualesque personae inopinatos natalibus et dignitatibus et corporibus et aetatibus suis exitus referunt, hominis caussa; aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab aduersariis eius, si pro eo steterint;* quod pertinere ad tempus, quo ab aemulis imperii SEVERVS tutum reddiderat orbem Romanum, nullo modo dubitari potest Nam cum sublatus e medio esset ALBINVS, tum maxime SEVERVM animaduertisse in hos, qui steterant a NI-

GRI

GRI ALBINIVE partibus, tantum ignorant ii, qui loca ſuperius adducta haud intellexere. Ex quo non minus licet cognoscere, quo modo potuerit TERTVLLIANVS dicere, (c. 2. p. 156. C.) hos deſignatos *martyres*, quibus, noſtrum libellum componendo, aliquod afferre alleuamentum voluit, *non participare ſollemnes nationum dies, neque caedi ſpectaculorum clamoribus.* Quamquam enim me non prorſus praeterit, ludos etiam editos fuiſſe eo tempore, quo ſuperior SEVERVS a Parthis ceterisque barbaris rediiſſet; facit tamen hoc ipſum argumentum, quod ad erigendos martyrum animos petit a viris clariſſimis, qui idem experti erant fatum, vt ludos intelligamus eos, quos editos nouimus propter victoriam a NIGRO, magis etiam ab ALBINO reportatam. Caeterum ego non dubito primum locum noſtro libello vindicare inter eos, quorum aetas certa quadam ratione cernitur, propterea quod TERTVLLIANVS non modo commemorat mutuam candidatorum Imperii aduerſus partis contrariae ſocios violentiam, quam rem dici non poteſt exſtitiſſe, niſi eodem anno, quo periit ALBINVS h. e. A. CXCVII., ſed etiam mentionem iniicit calamitatum, quas ſubiere Chriſtiani, tamquam earum, quae nunc quidem initium ceperint; ceterique omnes libri, quibus ſcribendis occaſionem haec temporum perturbatio dedit, Chriſtianos oſtendunt iam multis cruciatibus tormen-

mentisque exagitatos Neque ego nunc vereor, ne hunc libellum in numerum eorum referant nonnulli, quos TERTVLLIANVS composuit, cum ab amicitia Orthodoxae Ecclesiae se remouisset; ipsa enim libelli aetas id quidem non permittit, si verum est id, quod diximus alias (§. III.), TERTVLLIANVM huic ante A. cc. bellum non intulisse. Qua in re videmus HOFFMANNVM a nobis, vt solet, dissentientem, sed ad opinionem suam confirmandam vsum argumento tali, ex quo magis appareat id, quod nos contra volebamus (diss. cit. §. X. p. 36). Videlicet martyres istos, ad quos est oratio TERTVLLIANI directa, existimat partim Orthodoxos fuisse, partim Montanistas; idque effecisse, vt dissensio nata sit inter eos, quam ex animis tollere conatur TERTVLLIANVS sub libri initium. Sed ad vniendos eos *opus erat hortatore*, inquit HOFFMANNVS, *qui vtrique parti bene cuperet; qualis erat* TERTVLLIANVS *Montanista, et in Catholicos quidem saepe peracerbus, neque tamen eos ita, vt haereticos, perosus.* Audio. Sed vt vtraque pars inimicitias deponat, certe non requiritur, vt is, qui pacem conciliare studet, vtrique discentientium faueat. Illud nimirum necesse est potius, vt dissidentes inter se cum eo, qui pacem conciliat, concordent. Planius dicam. Constat ex scriptore nescio quo? cuius verba habet EVSEBIVS (H. E. V. c. 16. p. 232. edit.

edit. Cantabrig. READINGII), eos, qui puriori Ecclesiae addicti erant, adeo contemsisse Montanistas, vt, si casu coniecti cum ipsis fuerint in vincula, semper a Montanistis dissenserint, atque detrectauerint eorum societatem. Idem vero non potest de Montanistis dici, cum eius rei nec vlla exstent vestigia, quin potius ipse TERTVLLIANVS etiam in libris iis, quos popularis Ecclesiae doctrinis opposuit Psychicos ab haereticis subtiliter distinguat; nec ad vllam rem, quae credendorum a Christianis regulam attingerent, discordes esse Montanistas et Orthodoxos confirmet. Fac igitur, tum iam TERTVLLIANVM secessionem feciſse ab Orthodoxorum decretis, cum librum conscriberet; potuitne bona cum spe tentare pacem inter dissidentes captiuos restaurandam? Non admodum puto. Abhorruisset enim fere a consuetudine eorum inter captiuos, qui Orthodoxae Ecclesiae se socios dicebant, sequi praecepta hominis, cuius sectam detestabantur vehementius. Contra ea, si tamquam ciuis purioris Ecclesiae haec scripsisse dicitur TERTVLLIANVS; istud certe odium, dici non potest impedimento fuisse, quo minus et Montanistae ea, quibus moniti essent, amice accepturi fuissent. Immo vix mihi persuadeo, TERTVLLIANVM ad pacem martyribus commendandam, vsurum fuisse hoc argumento (cap. I. p. 156. A.): quod, si paci cum

aliis

aliis ſtuderent, poſſent forte aliquando et aliis pacem conferre; cum ſciant omnes, qui eius librum *de pudicitia* legerint (c. 22. p 744 B.), quam acerbe de iſto more dandi pacis libellos iudicauerit. Denique exemplo hominis auctorati, quod eſt in noſtro libello (cap. 5.) non minus, quam in primo *ad nationes* libro (c. 18. p. 62 D.), non eſt quod diu immoremur. Sit ſane, librum noſtrum recentiorem eſſe illo, quis dicet, ea de cauſa noſtrum eſſe Montaniſmi ſuſpectum, niſi iam certo conſtet id, quod falſitatis poſtea conuincemus, libros *ad nationes* fuiſſe a TERTVLLIANO confectos, poſtquam cum Montaniſtis familiaritatem contraxerat? Praeterea ſi HOFFMANNVS ſibi licere putauit, vt noſtrum libellum poſteriorem eſſe iſtis libris diceret: nobis pari iure licet, hos poſteriores exiſtimare noſtro; idque eo magis, quo certius eſt, hunc ſub vexationis initium, illos in ipſo quaſi perturbationis aeſtu prodiiſſe.

§. XIIII.

Eadem tempeſtate dubium non eſt quin TERTVLLIANVS librum *de ſpectaculis* ediderit. Ad quod efficiendum niſi vteremur alio argumento, quam hoc, quod illum librum exitauerit in eo quem *de idololatria* ſcripſit (cap. 13. p. 112. A.; perfacile eſſet intelligere, hunc minimum A. CXCVIII. luci publicae expoſitum fuiſſe, cum TERTVLLIANVS illum

illum eodem fere anno cum Christianis communicauerit. Sed docet ipsum eius in hoc libro conscribendo consilium, euertendi istam opinionem, quod Christianis liceret interesse spectaculis: maxime tum edita spectacula fuisse, quae contemta a Christianis, tamquam *expedito morti genere*, deorum cultores dicebant (de spect. c. I. p. 89. B.). Quae quidem valde dubito, an de aliis capi spectaculis possint, quam de iis, quae propter SEVERI reditum victoriamque ab ALBINO reportatam, non Romae solum sed per prouincias etiam (coll. c. 7. p. 93. A.) edita esse leguntur; qualia isto tempore habet SPARTIANVS (in SEVERO c. 14.). Namque si TERTVLLIANVM ludos commemorare videmus (c. 16.) *de natalibus et sollemnibus regum et publicis prosperitatibus*, eumque dicere, nullos a cultu deorum immunes esse, *sub quocumque demum nomine et titulo ederentur:* id nempe, quod diximus, suspicamur, maxime inducti eo, quod *praesides* dicat, (c. 30.) *persecutores dominici nominis, saeuioribus, quam ipsi contra Christianos saeuierint, flammis insultantibus olim liquescentes*; et alio quodam loco (c. 26.) *quod in Christianos quotidiani leones expostulentur, ac decernantur persecutiones*. Igitur iam tum Praesides vexabant Christi cultores; quibus pertinaciam in reiicienda spectaculorum voluptate obiici vsu venerat (cap. 1.). Enimuero diximus (§. VII) in caus-

causſis violandi Chriſtianos eam fuiſſe habitam, quod hi ſibi religioni ducerent, venire ad ludos; ipſamque hanc ſaeuitiam aduerſus eos tam A CXCVII exſtitisſe: quam ob rem ullum fore dubitamus, qui alio quam hoc aut ſequenti anno ſcriptum eſſe *de ſpectaculis* librum iudicet. Atque ego non ignoro, multos fuiſſe in ea opinione, quaſi TERTVLLIANVS noſtro in libello reſpexiſſet potius ludos ſaeculares, quorum memoriam tot numis nouimus celebratam, et ipſe ad hanc ſententiam inclinauit TILLEMONTIVS, accuratisſimus, ſi a ratione Chronologica diſceſſeris, harum rerum interpres *). Sed iſti opinioni, quo minus calculum adiiciamus, impedit primum hoc, quod TERTVLLIANVS praeſides dicat auctores calamitatum in Chriſtianos, verbis tam duris, vt abhorrens videatur ab iſta cautione ac ſtudio TERTVLLIANI remouendi a Chriſtianis omnem ſuſpicionem neglectae pietatis aduerſus Imperatorem. Itaque hac ipſa cautione alias TERTVLLIANO vbiuis adhibita, quam hic abeſſe videmus, adducimur in eam ſententiam, vt credamus, tempore editi huius libelli nondum ſceleris iſtius adverſus Chriſtianos participem fuisſe SEVERVM, qualis tamen fuit A. CCIIII. cum ludi iſti ſaeculares ederentur. Deinde efficeretur ipſa hac

*) *Mémoires pour ſeruir à l'Hiſtoire Eccléſiaſtique des ſix premiers ſiècles*, Tom. III. Edit. Paris. 1701. in 4. p. 210.

hac disſentientium opinione, hunc librum ſcriptum eſſe a TERTVLLIANO, cum tranſiiſſet ad partes Montaniſtarum; quod longe ſecus eſt, vt mox videbitur, ac repudiatur ab ipſis his, qui ſecus exiſtimant. Neque vero aliorſum, quam fere ad huius anni CXCVIII. initium, hunc librum referri par eſt, quoniam ante Maium anni praecedentis, vix credibile eſt, SEVERVM Romam rediiſſe, cum ſint poſt pugnam Lugdunenſem (§. X.) multa adhuc ab ipſo compoſita *); vnde fit, vt nec libellus *ad martyres*, qui noſtro eſt ſuperior, niſi ad illius anni finem, ſcriptus poſſit dici. Cui ſi addamus id, quod ſuo loco docebimus, librum *de idololatria* poſteriorem eſſe eo *de ſpectaculis*, et eodem anno compoſitum; haec noſtra de aetate libri *de ſpectaculis* ſententia inde neceſſario intelligetur. Atque haec eadem libri aetas demonſtrat ſatis, non poſſe eum haberi in numero eorum, quos addictus ſectae Montaniſtarum TERTVLLIANVS conſcripſit: huic enim adiunxiſſe ſe eum A. P. C. N. cc. ſupra diſputauimus; nequa vlla eſt ipſi libro impreſſa nota imbuti Montaniſtarum erroribus animi. At hic tamen libellus libro *de corona* poſterior eſt, quem nemo Montanismi ſigna habere negat. Ita fere HOFFMANNVS (in diſſ. laud. §. VII.); a quo ſi rationem eius rei poſtulas,

*) V. HERODIANI Hiſt. l. III. c. 8. Ed. BOECLERI p. 144.

las, noſtrum prodiiſſe librum reſpondet, „cum pax Eccleſiae non quidem SEVERI edictis, ſed clamoribus populi et Praeſidum auctoritate ſublata eſſet.“ At eodem illo argumento adductus, cum animum appelleret ad ſcribendum librum *de ſpectaculis*, TERTVLLIANVM plane exiſtimo orthodoxae familiae ſodalem fuiſſe. Namque vim argumenti contrarii vniuerſam in eo eſſe video, quod in iſto libro *de corona* (c. 1. p. 120. C.) TERTVLLIANVS bonam longamque pacem Chriſtianis adhuc fuiſſe dicat; cui quid reſpondendum ſit, poſtea dabitur commodior dicendi locus. Sed iſtud a veritate alienum eſt, quod *de ſpectaculis* liber ſcriptus ſit poſt librum *de corona*; cuius rei teſtem habemus ipſum TERTVLLIANVM plane contrarium, qui in iſto *de corona* libello (cap. 6.): *huic materiae*, inquit, *propter ſuauiludios noſtros, graeco quoque ſtilo ſatisfecimus;* loquitur autem de ſpectaculis, quae ducta putat e diaboli disciplina. Et hoc ipſum iam ALLIXIVM commouit, vt noſtrum *de ſpectaculis* librum antiquiorem eo eſſe decerneret; cuius argumenti vim eo HOFFMANNVS vult frangere, quod de graeco libello ſermonem eſſe pronunciat, negatque, idem de latino propter rationes a ſe adductas ſentiendum eſſe. Atque ego non inficior, TERTVLLIANVM de eo libro fuiſſe locutum, quem de ſpectaculis olim graece compoſuiſſet; ſed neque illud poteſt eſſe obſcurum, ante iſtum

graecum, latine etiam eum commentatum esse de eodem argumento Nonne enim is, qui de spectaculis graece *quoque* se dixisse fatetur, idem hoc voluisse censendus est, se olim alia etiam lingua istud argumentum tractasse? de rationibus autem HOFFMANNI in contrariam partem allatis iam monui me postea dicturum. Neque est audiendus PINIVS, qui hunc quidem librum cum eo, qui est *de Idololatria*, circiter A. CCII. aut CCIII. scriptum esse opinatur a TERTVLLIANO iam ad errores Montanistarum procliui *). Qua in re deceptum eum esse suspicor natali GETAE Caesaris, cuius memini mentionem fieri in Actis PERPETVAE et FELICITATIS, quae quidem creduntur eo anno mortem subiisse. Hunc vero natalem putat a TERTVLLIANO in libro *de idololatria* indicatum, cuius rei, saltim in eo loco, quem exitauit, nullum est vestigium, ac, si esset, id nimirum caderet in disceptationem, intellexeritne TERTVLLIANVS natalem imperii aut vitae GETAE Caesaris? Sit igitur stabile, hunc *de spectaculis* librum editum fere fuisse sub A. CXCVIII. initium.

§. XV.

Hunc excipit *de idololatria* libellus. Quem cum TERTVLLIANVS scriberet, erant sane Ro-

*) *Dans la nouuelle Bibliothéque des auters Ecclésiastiques.* Edit. Paris. 1693. in 4. Tom. I. p. 91. et 108. not. 1.

Romani occupati in eo, quo ostenderent laetitiam summam de temporum istorum felicitate, eaque de causa ipsas ianuas suas laureis exornauerant et multis lucernis (coll. c. 15.). Id vero in honorem Imperatoris factum esse, demonstrat omnis disputatio, quam subiicit TERTVLLIANVS super ista quaestione: an pietas Imperatori debita requirat, vt Christiani, ad declarandum de Caesaris salute gaudium, se deorum cultoribus adiungant vario laetitiae apparatu? Haec, si quis quaesiuerit, ad quaenam tempora spectent? nullus ego dubito dicere: ad varia laetitiae signa, quibus quasi SEVERO, e bello cum aemulis imperii reduci, Romani applaudebant. Namque ter legimus apud scriptores veteres istiusmodi quid factum sub SEVERI imperio; primum A. CXCIII., cum SEVERVS, regnum occupaturus, Romam, interfecto IVLIANO, intrasset *); postea, cum victor ex Gallia rediisset, ALBINO prostrato **); denique in decennalibus imperii sui, cum reuerteretur ex Oriente ***); quod omne genus multis confirmari numis potest. Atque primum illud haud potest a TERTVLLIANO significari. Namque, vt nunc non dicam, si adhuc

*) DIO apud XIPHILINVM l. LXXIIII. c. 2. p. 1242. C.

**) HERODIAN. l. III. c. 8. SPARTIAN. in SEVERO c. 12.

***) DIO l. LXXVI. c. 1. p. 1272. et HEROD. l. III. c. 10.

adhuc fuisset imperii aemulus, quem plurimi optabant, qualis NIGER erat post mortem IVLIANI, vix negligentiam in ostendenda aduersus nouum Caesarem pietate obiici potuisse Christianis; (quod tamen factum apparet ex omni TERTVLLIANI sermone): prouocat certe TERTVLLIANVS ad suum *de Spectaculis* librum, quem diximus demum A. CXCVIII. scriptum fuisse. Neque vero quis debet haerere in eo, quod non de graeco huius argumenti libro, sed de latino loquatur; nam nostrum libellum cum scripserit latine, haud dubito, quin, si graecum *de spectaculis* librum voluisset denotare, illum designaturus adiecto quodam verbo fuisset; atque nos, iam diximus, a graeco posse ad latinum iam scriptum, absque errore argumentari. Neque etiam postrema sententia videtur admittenda, quae istam publicam laetitiam transferre vult in decennalia SEVERI. Nolo nunc disputare de eo, quod pugnet cum hac opinione ipsa huius libri ὀρθοδοξία, quam ei postea vindibabimus, sed est tamen aliquis suspicioni locus, eo tempore in Christianos adhuc magistratus fuisse collatos. Namque istam quaestionem: quatenus eiusmodi officium progredi deberet in suscipienda religiosa aliqua consuetudine, quae ad deorum cultum paullisper accederet? dubito an tractasset TERTVLLIANVS, si quidem tum Christiani admissi ad magistratus non essent. Sed equidem

dem haud nego, me ſubdubitare, quod amplius communicata cum Chriſtianis fuerint officia publica, cum iam SEVERVS edictum de religione Chriſtianorum non recipienda tuliſſet. Reſtat igitur alterum, quod diximus, celebrationum genus, quod poſt SEVERI ex Gallia reditum exſtitiſſe perſpicuum eſt. Cuius ſententiae novum aliquod argumentum nec iſtud profecto contemnendum, peti poteſt ex eo, quod TERTVLLIANVS iſto, quo librum hunc ſcripſit, tempore Aſtrologis nuper admodum vrbem et Italiam interdictam eſſe commemorat (c. 9). Quod quando ſit factum, ex SPARTIANO non minus diſcere licet quam ex ipſo TERTVLLIANO Primum audiamus noſtrum: (Apolog c. 35 p. 32. D.). *Qui nunc*, inquit, *ſceleſtarum partium ſocii aut plauſores quotidie reuelantur, – – quam recentiſſimis laureis poſtes praeſtruebant? quam elatiſſimis et clariſſimis lucernis veſtibula nubilabant? – – non vt gaudia publica celebrarent, ſed vt vota propria iam edicerent in aliena ſollemnitate – – nomen principis in corde mutantes. Eadem officia dependunt, et qui* ASTROLOGOS *et Aruſpices et Augures et* MAGOS *de Caeſarum capite conſultant.* Sed in hoc Apologetici loco haec gaudii publici ſigna edita *olim* a ſceleratis fuiſſe TERTVLLIANVS dicit, quae in libro noſtro *nunc* fieri planiſſime indicat. Eſt igitur iſte de *idololatria* libellus ante *Apologeticum* ſcriptus, adeoque ante initium A. CXCVIIII.,

CXCVIIII., vt postea apparebit. Ego vero haud inepte suspicari videor mihi, pulsos Roma Italiaque Astrologos tum fuisse cum a multis de salute Caesaris fuissent consulti. Atque hi, qui tale quid sciscitati erant ex magis, capitis damnabantur eo tempore fere, quo SEVERVS proficiscebatur aduersus Parthos h. e. A. CXCVIII. Quod intelligitur e loco quodam SPARTIANI, (in vit SEV. c. 15.) quem quoniam non satis est excussus ab aliis, hic subiicio: *Postquam* SEVERVS *Parthicum bellum susceperat, traiecto exercitu a Brundisio, continuato itinere venit in Syriam Parthosque submouit. Sed postea in Syriam rediit ita, vt se pararet ac bellum Parthis inferret. Inter haec Pescennianas reliquias, Plautiano auctore, persequebatur. – – Multos etiam, quasi Chaldaeos aut vates de sua salute consuluissent, interemit, praecipue suspectos vnumquemque idoneum imperio.* Istum locum si conferamus cum eo, quem modo ex TERTVLLIANO recitauimus, apparet, vtrumque Scriptorem, cum loquatur de reliquiis aduersariorum SEVERI perquisitis, ipsum etiam tempus, quo ista contigerint, definire; quod secus est in enarrando altero de adhibitis in consilium Astrologis. Sed quemadmodum illud nobis dat viam certam inveniendi veram aetatem Apologetici; ita hoc quidem nos docet, eos, qui magos de salute Caesaris percunctati fuerant, fere eodem tempore fuisse exstinctos; ex quo saltim

saltim intelligitur id quod volebamus, nostro in libro TERTVLLIANVM de altero celebrationum genere sub SEVERO fuisse locutum. Quamquam, si velimus istam rem quaerere subtilius, et adhibere legem, e qua ordinem in rebus gestis narrandis a SPARTIANO plerumque obseruatum iudicandum esse experimento didicimus (quam longum est hic luculentius exponere): cognoscere licebit, quod ista supplicia eorum, qui Magis vsi sunt ad intelligenda imperii SEVERI fata, non necessario posteriora habenda sint suppliciis constitutis in amicos NIGRI superstites. Itaque cum haec exstiterint A. CXCVIIII. vt dicemus suo loco, illa haud inepte adsignari possunt anno praecedenti. Quae cum ita sint, patet ad A. CXCVIII. librum *de idololatria* pertinere. Atque hic ego non puto necesse esse, vt respondeatur ad ea, quae voluit TILLEMONTIVS, hunc librum scriptum esse a TERTVLLIANO, postquam ipse nouae alicuius sectae auctor exstitisset. Quod absque ratione omni defenditur, et est ab HOFFMANNO confutatum (diss. cit. §. VIII. p. 31.), qui in argumentis, e quibus eruenda est libri aetas, nobiscum fere consentit, ita tamen vt a TERTVLLIANO Montanista illum existimet scriptum. Quae quidem opinio stare non potest, si verum est id, quod superius probatum dedimus; non nisi A. cc. eum se contulisse ad disciplinam MONTANI. Neque

ad

ad eam asserendam bene HOFFMANNVS adhibuit locum TERTVLLIANI ipsius, (*de idol.* c. 22: *Multi dicunt, nemo se debet promulgare*) quem vult indicasse, quod fuerit iam tum inter Montanistas et Orthodoxos quaestio agitata de fuga in persecutione. Nempe ipsa series orationis de omni negatione fidei sermonem esse docet, neque de fuga vnice; et ex antiquissima veterum Christianorum historia, veluti ex IGNATII ac POLYCARPI exemplo, apparet, diuersas inter ipsos purioris doctrinae Christianos ea de re fuisse sententias. Sed ortam hanc Orthodoxos inter et Montanistas disputationem ex facto militis, qui coronam lauream repudiauit, adeoque hunc librum post eum, qui est *de corona*, scriptum esse, id vero est hariolari, non probare; quale genus argumentandi debet ab omni disputatione alienissimum esse.

§. XVI.

Sequitur elegantissimus *Apologeticus*, quem librorum TERTVLLIANI et doctrina et candore praestantissimum audeo dicere. Cuius aetas tametsi copiose disputata sit ab omnibus, qui ceteros etiam libros non tetigere, maxime a MOSHEMIO, elegantissimo Viro, cui hoc in genere primae debentur: tamen post istam messem licet spicas quasdam colligere, atque, praetermissis iis, quae doctissime sunt dicta ab eo, breuissi-

uisſime, quam posſimus, veluti per gradus adſcendendo, quae iſta de re dicenda habemus, exponere Primum igitur nemini, qui fuit in eo libro tractando cum cura aliqua verſatus, poteſt eſſe obſcurum, iſto tempore nondum fuiſſe legem SEVERI contra Chriſtianos emiſſam Namque, hunc librum offerendo Praeſidibus, quis credet TERTVLLIANVM ab iis exſpectare potuiſſe, vt iram aduerſus Chriſtianos conceptam non mitigarent ſolum, ſed plane deponerent, dimitterentque eos innocentes? ſi tamen Praeſidibus agendum fuiſſet ſecundum SEVERI leges, a quibus nec licebat vel latum vnguem recedere; praeſertim cum conſtaret quanta acerbitate vſus olim fuiſſet aduerſus eos, quos intellexerat officio iudicis haud bene defunctos. (V. SPARTIANVM in SEV. c. 8.). Neque vero mirum cui videri debet, ſi Praeſides cum plebe ſoli iniurioſi fuerunt in Chriſtianos, quam ob rem non ad Caeſarem ipſum TERTVLLIANVS prouocauerit, neque Chriſtiani receperint in eius tutelam? Etenim ſi Chriſtiani occaſione eorum, qui propter NIGRI ALBINIQVE amicitiam plectebantur, auctore PLAVTIANO, omne calamitatum genus ſuſtinuerunt; talis ad Caeſarem provocatio, propter ſummam PLAVTIANI, Praetorio Praefecti, auctoritatem locum non fuiſſet habitura; ne tum quidem, ſi facta eſſet ad ipſum PLAVTIANVM, impotent ſimum

mum crudelisſimumque hominem. Praeterea quomodo, ſi vel maxime PLAVTIANVS auctor tanti ſceleris in Chriſtianos non fuerit, quomodo, inquam, a SEVERO, infinite et aurum et caedem hominum innocentium ac ſeditionis ſuſpectorum concupiſcente, impetrari auxilium potuiſſet aduerſus plebis furioſae impetus; quam verendum erat potius, cum nondum publicas cum Chriſtianis inimicitias ſuſcepiſſet, admonitum libellis Chriſtianorum, eo progreſſurum fuiſſe, vt etiam mala, auctoritate ſua Praeſidum furorem confirmando, augeret? Hac igitur re conſtituta, dicere neceſſe eſt ſane, quod Apologetico ſcribendo occaſionem dederit facta a plebe Chriſtianorum perturbatio. Atque quorumdam locorum TERTVLLIANI *) vis ita eſt manifeſta, vt abſonum plane ſit, aliud ibi quid quam eam rem quaerere. Vnde fit, vt neque dici TERTVLLIANVS poſſit hanc Chriſtianorum defenſionem tradidiſſe Praeſidibus, niſi cum annus CXCVII. ſuam iam ſummam compleuiſſet; propterea quod horum motuum origi-

*) e. c. Apol. c. 37. C: *Quoties ſuo iure nos inimicum vulgus inuadit lapidibus et incendiis; ipſis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturae auellant, diſſecent. diſtrahant.* Et c. 35. C: *Nulli magis depoſtulatores Chriſtianorum quam vulgus. Plane ceteri ordines pro auctoritate religioſi ex fide. Nihil hoſticum de ipſo ſenatu, de equite, de caſtris, de palatiis ipſis ſpirat.*

origines isti anno idoneis argumentis vindicauimus. Itaque nec opus est isto loco (Apolog. c. 35. p. 32 C.), quo inter hostes imperii CASSIOS, NIGROS ALBINOSQVE TERTVLLIANVS retulit, ad asserendam Apologetici aetatem nece ALBINIANA posteriorem; continet tamen is ipse locus vestigia quaedam non admodum obscura, quibus insistentes aetatem, quam Apologetico constituimus tribuere, accuratius inuenire possumus. Nihil iam de congiariis ab Imperatore populo datis, nihil de die sollemni Principis omni lautitiarum apparatu celebrato; nihil de votis pro Imperatoris salute susceptis dicemus: sunt enim haec vel non apta satis ad rem exequendam, vel a MOSHEMIO iam elegantissime disputata. Vnum locum excutiamus, et eum quidem superius in medium productum (§. XV.); propterea quod et is rem planissime conficit, et mouet nos, vt ab istius doctissimi viri sententia paullulum deflectamus. Ait igitur TERTVLLIANVS, *sceleſtarum partium ſocios aut plauſores, poſt vindemiam parricidarum racemationem ſuperſtitem, quotidie reuelari*; ait etiam, *quosdam Aſtrologos, Augures, Magos de Caeſarum capite conſuluiſſe.* Eadem coniunxit SPARTIANVS, effecitque ista similitudo, quae vtriusque scriptoris loca excitata intercedit, vt vtrumque eadem plane tempora respexisse dicerem. Sed quoniam nec TERTVLLIANVS consultationem

nem Magorum plane refert in eadem illa tempora, in quae reliquias amicorum NIGRI perquisitas, nec SPARTIANVS, vbi tempus diserte non definit, ordinem rerum accuratissime sequitur; fit vt nunc mittamus ea, quae de consultis Magis apud vtrumque leguntur. At alterum sequamur indicium temporis, quo scriptus est Apologeticus, videlicet istud studium PLAVTIANI protrahendi omnes eos, quos suspectos dicebat auersae a SEVERO voluntatis. Hos, SPARTIANVS ait, persecutum esse PLAVTIANVM interea, cum SEVERVS Parthos adortus fuisset, rediisetque in Syriam, vt se pararet ad bellum Parthis maiori cum vi inferendum. Enimuero credibile est, SEVERVM fere post medium A. CXCVIII. fuisse aduersus Parthos profectum *); quorum impetus cum aliquantum repressisset, in Syriam rediit forte, vt ibi hyemem transigeret. Vbi cum pararet ea, quae necessaria videbantur ad Parthos bello persequendos; PLAVTIANVS inuestigauit eos, quos superstites nouerat e NIGRI amicis; quod igitur fere factum est sub A. CXCVIIII. initium. Quare nullus ego dubito, quin sententia MOS-

*) *Profectio Augusti* coniungitur apud MEDIOBARBVM ad a. C. 199. p. 172. et apud VAILLANTIVM in num. Impp. Vol. I. p. 113. cum Tr. P. VI., quae desiit A. CXCVIIII. medio. Sed apud illum p. 273. alius numus habet SEVERI Tr. P. VI. cum cognomine *Par. Ar. Ad.* signisque victoriae aliis.

MOSHEMII, qua A. CXCVIII. medio hunc librum exaratum esse existimat, relinquenda sit ista in re propterea, quod tum modo aduersus Parthos profectus est SEVERVS, atque TERTVLLIANVS non de exstinctis ALBINI, sed NIGRI amicis loquitur, qui erant adhuc post ALBINIANOS superstites Sed neque tempore, isto, quod diximus, posteriori facta esse videtur haec inimicorum SEVERI perueſtigatio; hoc enim pugnaret cum eo, quod iam A. cc. TERTVLLIANVS Montanistarum partibus accesit, scripsitque ante hanc factam ab Ecclesia secessionem *libros ad nationes* et *de testimonio animae*, qui ne minimam quidem dant Montanismi suspicionem, et sunt Apologetico superiores; quod de libro *super animae testimonio* haud dubium est, ac *de libris ad nationes* probabile admodum. Neque nunc credo fore, qui putent, TERTVLLIANVM tum Montanistam fuisse, cum Apologeticum componeret. Etenim nisi mauelint fingere cum HAVERCAMPO V. C. (in praefat. ad Editionem Apologet. TERTVLL.) TERTVLLIANVM bis hanc apologiam paullulum immutatam edidisse, argumentis nostris cedant necesse est, quibus eam superiorem esse SEVERI edicto probauimus. Atque ego opinionem HAVERCAMPI non probo, cum lectiones quaedam textus huius libri discrepantes istam rem non conficiant satis; mihique ex EVSEBIO quidem (H. E. l. II. cap. 2.) constet,

ſtet, quod TERTVLLIANI apologia latine ſcripta ſit, poſteaque graece conuerſa, ſed quod bis edita ſit, et immutata quidem, nullo modo. Quod ſi igitur concedant, Apologeticum SEVERI edicto eſſe antiquiorem; eos profecto oportet contra nos, ſi poſſint, certioribus argumentis pugnare, quam iis, quibus ſententiam a MOSHEMIO demonſtratam HOFFMANNVS impugnauit, quae nihil firmitatis habere egregie commonſtrauit MOSHEMIVS (in Addendis ad Vol. I. diſſ. ſuarum Hiſt. Eccleſ. p. 741 - 48.). Atque nos ipſi alteri HOFFMANNI argumento ſuo loco reſpondebimus, alterum vero monemus cum ipſa HOFFMANNI ſententia pugnare (lubet enim hoc MOSHEMIANAE reſponſioni adiicere). Nam ſi vera ſunt etiam, quae de cultu SERAPIDIS Romae per SEVERVM reſtituto HOFFMANNVS dicit, facta eſſe ea tum demum, cum Aegyptum, deuictis Parthis, peragraſſet, h. e. A. CCII: concidit id, quod antea decreuerat, ante SEVERI edictum ſcriptum Apologeticum eſſe; quoniam ante A. CCIII. Romam SEVERVS non rediit, et tamen A. CCII. edictum aduerſus Chriſtianos a SEVERO promulgatum fuiſſe, nemo vnus vocare in controuerſiam poteſt.

§. XVII.

Narrat in Apologetico ſuo TERTVLLIANVS, (c. 16. p. 17. D.) *proxime* fuiſſe quemdam,

dam, qui imaginem togatam, auribus instructam asininis, altero pede vngulatam, addita inscriptione: DEVS CHRISTIANORVM ONOCHOETES proposuerit. Idem *nuper* factum esse refert in priore *ad nationes* libro (c. 14. p. 59. D.); quod argumento esse potest, eodem fere tempore cum Apologetico vtrumque *ad nationes* librum editum fuisse, atque ita, ni fallor, vt post eum hi lucem viderint. Vtrumque inquam; verba enim, quibus librum posteriorem orditur statim eum priori subiectum ostendunt. Post Apologeticum; tum quoniam illud *proxime* videtur breuius temporis spatium designare, quam *nuper*, tum, quoniam verisimilius est, si quis dicat, TERTVLLIANVM primum Praesides compellasse, quorum auctoritas maior esset, animusque tractabilior, quam populi. Atque sunt praeter haec non pauca, quibus eorum aetas multo superior edicto SEVERI intelligi possit; a quibus enumerandis me nunc quidem contineo, sed vtor tamen ad hanc rem duobus argumentis. Vnum est, quod isti libri sint populo in primis destinati; alterum, quod victoriam a NIGRO atque ALBINO tamquam non ita multo ante reportatam significent. Nuspiam Praesides alloquitur, vt fecit in Apologetico, sed vnice populum, a quo memini TERTVLLIANVM alicubi etiam (v. c. l. I. c. 3. p. 48. B.) diserte Praesides distinxisse. Deinceps hos, ait, quibus di-

cauit istos libros, accusasse Christianos (l. 1. c. 20. p. 63. D.); quod quidem conuenire video in Praesides, tamen multo magis refertur ad plebem. Denique ipsum cognomen *nationum*, quod est in horum librorum epigraphe, manifestum est a TERTVLLIANO inditum esse iis, qui dediti erant cultui deorum; hic vero proprie plebem superstitiosam designat haud dubie, propterea quod paene eadem, quae disputata sunt in hoc vtroque libello, iam Praesidibus considerauda proposuit in Apologetico. Sed nuperae stragis NIGRI ALBINIQVE mentionem injicit hoc modo, vt *Syriam cadauerum odoribus spirare*, *Galliasque adhuc Rhodano suo non lauare* dicat; quod quid sibi vult aliud quam hoc: vix finem bello SEVERI cum NIGRO atque ALBINO fuisse impositum? Quae quidem omnia, istos *ad nationes* libros non post edictum SEVERI editos fuisse, sed ante, luculenter ostendunt, possuntque edocere omnes, non praeter rem hos libros comites datos a nobis fuisse Apologetico TERTVLLIANI, quippe quos ea de caussa oportet scriptos esse, cum iam dimidia pars A. CXCVIII. fuisset conuersa. Ex quo apparet simul, ipsorum auctorem tum nondum abiisse in Montanistarum sententiam, si quidem id demum A. cc. contigit, neque inueniuntur in libris istis, quae suspicionem Montanismi mouere aliquantum possunt. At vnum hoc mihi animaduersione dignum videtur

in

in HOFFMANNI argumentis, qui, eidem similitudini insistens, quae argumentum Apologetici horumque librorum intercedit, pronunciat in contrariam partem non bene. Namque ea eius opinio, quae in hoc versatur, *quod libri ad nationes cum libello de testimonio animae non differant ab Apologetico, nisi prolixitate, eamdemque defensionem, quam* TERTVLLIANVS *in Apologetico velut in pugnum compresserat, aliquanto latius explicent*; ea vero nec recte se habet omnino, nec est ad rem efficiendam satis idonea. De ipsius argumenti conclusione nihil attinet dicere; est enim hoc satis disputatum a nobis, et adhuc quibusdam in locis disputabitur. Et quamis in Apologetico fere similia tradat TERTVLLIANVS eorum, quae fuerunt in libris *ad nationes* exposita; multa tamen sunt in isto, quae in his prorsus non exstant, et vicissim in his, quae frustra in Apologetico quaeruntur. Quod qui perspicere plenius velit, eum ad vniuersum librum posteriorem remittimus, quod versatur in explodendis gentilium diis: vbi, si discesseris ab vltimis libri sectionibus, nihil reperies, quod sit in Apologetico tractatum.

§. XVIII.

Stat mihi eadem sententia de eo libello, quem TERTVLLIANVS *de testimonio animae* conscripsit. Hunc equidem non nego aequalem esse libris ad nationes, sed dubito, an

recte ab HOFFMANNO (l. c. p. 34.) dicatur altera quasi pars esse commentarii, quem in Apologeticum TERTVLLIANVS ediderit, cum libri *ad nationes* priorem effecerint. Namque ista verba Apologetici (c. 17.): *Vultis ex animae ipsius testimonio comprobemus?* quae ansam HOFFMANNO ita sentiendi dedere, non ita comparata videntur mihi, vt possint lectores omnes ad huius opinionis veritatem agnoscendam adducere, cum eodem illo loco TERTVLLIANVS et demonstrare se posse vnum deum ex eius operibus dicat; de qua re tamen nusquam eum memini ex instituto disputare saltim in libro tali, qui sit eodem tempore cum apologeticis scriptus. Certius hunc librum Apologetico aequalem esse verba docent ea, quibus in sectione quinta (p. 84.) vtitur TERTVLLIANVS: *Diuinae scripturae, quae penes nos vel Iudaeos sunt, multo saecularibus litteris non modica tantum aetate aliqua antecedunt, vt loco suo edocuimus.* Hoc vero vbinam docuit, nisi in Apologetico? (cap. 18. seqq.). Quem cum sub initium A. CXCVIIII., eos vero *ad nationes* paullo post composuerit, anno isto paene expleto nostrum libellum edidisse censendus est Neque id abhorret ab eo, quod sibi in libello TERTVLLIANVS exsequendum sumsit, *vt aemuli persecutoresque Christianorum veritatis et erroris in se et iniquitatis in eos reuincerentur* (c. 1. p. 80. A.) Sed in alium, eumque posteriorem

eo,

eo, quem diximus, annum coniiciendum hunc librum non puto. Etenim praeterea, quod nulla in isto libro significatio Montanismi appareat, haud inepte quis dixerit, hunc veluti appendicem esse Apologetico librisque ad nationes adiectam; quoniam in eo disputata est paullo amplius doctrina Christiana. Neque vllus eius generis liber aduersus ineptum deorum cultum est a TERTVLLIANO compositus, qui posset alii tempori vindicari, quam huic, quo ipsa violentia in Christianos requirebat demonstrationem summae iniustitiae conspicuae in superstitione ferro flammisque propaganda.

SECTIO

SECTIO II.

DE

LIBRIS TERTVLLIANI,

QVORVM

ET AETAS ET MONTANISMVS CONSTAT.

§. XIX.

In ſuperiore diſputationis parte ſatis expoſitum eſſe putamus de libris iis, quorum aetas et puritas doctrinae certo quodam modo effici poſſe videbatur. Nunc ſequitur alter locus, qui pertractabit eos, quorum aetas non minus conſtat, quam id, quod ſint a TERTVLLIANO tum editi, cum ad MONTANI diſciplinam ſe, relicta vetere, contuliſſet. Inter quos primum locum tenet liber *de corona*, in cuius aetatem vt inquiramus paullo plenius, operae videtur pretium eſſe eo magis, quo certius hic veluti παράπηγμα eſt, ad quod exigendi ſunt ceteri omnes libri, ſi illud veniat in controverſiam, vtrum ſint ante TERTVLLIANI defectionem ſcripti, nec ne? Qua de re cum videamus doctos homines variis inter ſe diſſidere ſententiis, quibus impediuere magis veritatem inueniendam quam expediuere; candide dicemus, quae veri ſimilia videntur nobis, ac vna vtemur eaque prima libri ſectione, e qua erui poteſt et ipſa ſcriptoris doctrina et tempus, quo iſtum librum

in

in publicum propulit. Atque illam cuiuis licet intelligere ex ista disputatione vniuersa de fugiendis iis, quae vel minimam suspicionem cultus commentitiorum deorum excitare possent; vbi differentem audiet TERTVLLIANVM, non eum quidem placidum, modestum atque cedentem, sed austerum, sed vehementem, sed ira aduersus secus sentientes mirabiliter incensum, vt fere solent ii, qui modo ad disciplinam aliquam progressi, plurimum sibi sapere videntur. Alterius enim sectae *pastores* dum ait esse *in pace leones*, *in proelio ceruos*, *eosque respuisse Spiritus Sancti prophetias*; apparet sane MONTANI discipulum hic loqui, non communis Ecclesiae sodalem. Namque his verbis et alius se gregis esse profitetur ac ii, quorum doctores impugnat, et quid suum aduersus eos animum concitauerit, perspicue indicat, nimirum illud, quod secum eadem Paracleti Montanistarum decreta non fuissent secuti Hanc eamdem libri sectionem iis verbis orditur, quae fontis instar sunt, e quo omnis haurienda est aetatis notitia Ita vero ille: *Proxime factum est. Liberalitas praestantissimorum Imperatorum expungebatur in castris. Milites laureati adibant. Quidam illic magis dei miles – – Jolus libero capite, coronamento in manu otioso, relucebat. – – Murmur tribuno defertur. Statim tribunus, cur, inquit, tam diuersus habitu? Negauit ille sibi cum ceteris licere. Caussas*

fas expostulatus, Christianus sum, respondit. Huius militis factum cum ceteri Christiani improbarent, existimantes, *eo tam bonam et longam pacem periclitari*, contra nititur illud summis laudibus efferens TERTVLLIANVS. Atque in isto loco primum videmus ab eo liberalitatem Imperatorum nuperrime factam commemorari, quos dubito an quis alios fuisse dixerit, quam SEVERVM et CARACALLVM, vtrumque Augustum. At enim in superioribus CARACALLVM dicebamus dignitate Augusti tum fuisse ornatum cum SEVERVS iter in Orientem aduersus Parthos pararet, quo fere abiit post dimidiam partem Anni CXCVIII. conuersam; et postea ostendemus, pacem, quam hic adduci in periculum nonnulli credebant, esse eam, qua fruebantur Christiani nondum SEVERI lege publica exagitati, quam latam esse A. CCII. constat inter omnes. Hunc igitur librum scriptum oportet esse in interuallo eo, quod ab anno sexto SEVERI ad nonum effluxit. In quo temporis spatio tres obseruaui annos Imperatorum liberalitate notatos: primum paullo ante quam SEVERVS proficisceretur in Orientem A. CXCVIII. *); alterum annum CCI. cum is militibus suis, propterea quod CARACALLVM Augustum, GETAM Caesarem, dixerant, Ctesiphontem spoliandam tradi-

*) SPARTIANVS in SEVERO: c. 14: *Profectus ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere, et congiario populo dato.*

tradidiſſet *); tertium A. CCII., cum SEVERVS et CARACALLVS iter Aegyptiacum meditaretur. **) Horum annorum primum ſtatim hic intelligendum non eſſe defendo. Etenim diſputari poteſt, vtrum hoc gladiatorium munus et congiarium, quod habet SPARTIANVS, idem ſit ac illud, quod datum a SEVERO fuiſſe populo HERODIANVS refert ***) eo tempore, quo ab ALBINO victo Romam redierat. Neque enim obiici debet id, SPARTIANVM alio loco (in SEV. c. 12.) idem, quod ſtatim poſt reditum SEVERVS edidit, commemoraſſe. Namque, vt SPARTIANVM non dicam eadem ſaepius tamquam diuerſa repetere, is quidem eo in loco non loquitur de donatiuo conceſſo militibus, ſed de eo, quod SEVERVS militibus tantum ſtipendiorum, quantum nemo principum, dederit. Quod ſi igitur idem congiarium vterque reſpexerit, ſane intelligitur non idem voluiſſe TERTVLLIANVM, cum anno demum CXCVIII. a ſenatu dignitas Auguſti fuerit in CARACALLVM collata. Verum ſi detur id etiam, aliud congiarium ab HERODIANO, a SPARTIANO aliud intelligi; tamen quod ex hoc

*) Idem c. 16: *Harum appellationum cauſſa donatiuum militibus largiſſimum dedit conceſſa omni praeda oppidi Parthici, quod milites quaerebant.*

**) Id ibid: *Poſt hoc* (cum filium maiorem Conſulem ſecum deſignaſſet); *dato ſtipendio cumulatiore militibus Alexandriam petiit.*

***) lib. III. c. 8. Ed. Boecl. p. 145.

hoc primo loco excitauimus, non potest ad locum TERTVLLIANI referri eam ob caussam, quia ipsi de congiario non nisi populo data editisque spectaculis, TERTVLLIANO autem de re plane alia militibus in castris concesa est dictum. Sed neque illa postrema sententia admittenda est, vt ista liberalitas, finito in Oriente bello, in Syria contigerit A. CCII. post susceptum ab vtroque Augusto consulatum. Qui enim eius rei solus mentionem iniicit AELIVS SPARTIANVS *datum esse*, ait, *militibus cumulatius stipendium*, quod dubito an donatiuum dici possit, quale TERTVLLIANVS significare videtur. Ac si vel maxime sint, qui malint in isto loco SPARTIANI donatiuum intelligere, eos spero non penitus contemturos sententiam meam, qua liberalitatem a TERTVLLIANO expositam credo eam attingere, de qua SPARTIANVM locutum esse dixi, dum ea referebat, quae acciderunt post occupatam Ctesiphontem. Quae ista cum circumspicimus, non omnia solum, si contentio quaedam et comparatio fiat, bene se habere, sed explicari etiam egregie alterum posse ex altero animaduertimus. Nam primum isto tempore duo fuisse Augustos neminem praeterire potest; erat enim CARACALLVS iam ante expeditionem Parthicam A. CXCVIII. et nunc a militibus etiam particeps imperii dictus. Deinde donatiuum militibus datum SPARTIANVS commemorat, vnde illa liberalitas

litas Imperatorum in castris intelligitur. Denique sub initium huius anni CCI. nondum erat lex quaedam a SEVERO promulgata, quae omnes a religione Christianorum arceret, quorum familiam mox turbatam esse ea apparebit. Sed hoc donatiuum fuisse sub initium A. CC. militibus distributum id vero cum habeat aliquam dubitationem, quomodo calculi subducendi sint breuiter exponemus. Principio velimus animaduerti, quod alio quodam loco disputauimus *) SEVERVM, expleta priori parte anni CXCVIII., in Orientem fuisse profectum. Huic bello aduersus Parthos suscepto finem fere imposuit occupata Ctesiphonte. Nam, quod postea demum DIO CASSIVS SEVERVM refert bis frustra Atram impugnasse; in eo, si recte dixit, SEVERVS non videtur multum temporis consumsisse, cum altera eaque vehementissima huius vrbis oppugnatio viginti sit diebus confecta **). eamque statim secutum iter SEVERI in Palaestinam atque Aegyptum. Sed quoquo modo hoc accipiatur, Ctesiphontem hiemali prope tempore captam esse SPARTIANVS confirmat (in SEV. C. 16.). Hoc dici non potest accidisse. A. CXCVIII.; quomodo enim, si dicamus etiam SEVERVM statim post susceptam a CARACALLO Augusti dignitatem Roma abiisse, quo modo, inquam, tempore tam breui tantum iter in vlti-

*) Supra §. XVI. p. 31. not. x.
**) DIO l. LXXV. c. 13. p. 1265.

vltimas quasi regiones perficere, classem exornare, peragrare Armeniam, Seleuciam Babylonemque capere, atque vastare Arabiam potuisset? Neque vero id magis anno sequenti contigisse credibile est. Etenim post captam Ctesiphontem, Atramque bis obsessam, SEVERVS venit in Syriam, vbi postea fasces imperii suscepit. Sed eum cum filio A. CCII. hos habuisse, norunt, qui fastos consuluerunt, vniuersi; itaque dicendum erit; per tres fere aut duo annos nihil egisse SEVERVM in bello aduersus ceteros persequendo; quod prorsus abhorret. Restat igitur, vt captam a SEVERO Ctesiphontem A. cc. fere vertente dicamus, cuius occupationem cum statim exceperit Augusti dignitas in CARACALLVM a militibus collata, ac donatiuum iis ea de causa concessum; hoc certe non alio tempore, nisi sub anni cc. finem aut sequentis initium contigit. Quae quidem res egregie confirmatur iis antiquitatum monumentis, quae vtriusque rei memoriam nobis tradiderunt. Etenim, vt a victoria Parthica exordiar, non EVSEBIVS solum, cuius forte quidam stare nolent iudicio, hanc victoriam a Parthis, Adiabenis, Arabibusque reportatam transfert in A. cc.*), sed fasti etiam**) et numi***) cog-

*) Chronic. lib. II. ad h. a. Edit. SCALIGERI p. 172.

**) apud PAMELIVM in vita TERTVLL. p. 18. H.

***) apud MEDIOBARBVM ad a. C. 201. p. 274.

cognomen PARTHICI MAXIMI SEVERO TR. P. VIII. ſuſtinenti tribuunt, quam progredi a medio anni cc. ad anni ſequentis mediam partem, nemo ignorat. Deinceps in CARACALLVM Auguſti, in GETAM Caeſaris, dignitatem a militibus collatam eſſe A. CCI. ex SPARTIANO intelligitur quodam modo, qui hoc ait factum eſſe, cum CARACALLVS annum XIII ageret (l. c. c. 16.); quem eo anno egit haud dubie, vt apparet ex iis quae de eius natali alias diſputauimus (§. VI. p. 10.). Ac huius quidem auctoritas ſi forte repudianda videtur propterea, quod in definienda CARACALLI aetate ſibi ipſe non conſtat ſatis; hunc certe ſcrupulum eximit elegantiſſimus numus theſauri olim Schwartzburgici, nunc Gothani, quem memoriae huius rei conſeruandae deſtinatum fuiſſe, dubitari non poteſt *). Eius altera pars caput SEVERI laurea cinctum offert, addita inſcriptione: SEVERVS AVG. PART. MAX. P. M. TR. P. VIIII. altera nudum GETAE, et CARACALLI laureatum caput, quod hunc qui-

*) Eum cum erudito orbe communicavit POLYCARPVS TENTZELIVS in diſſ. ſub. 10. ANDR. SCHMIDII praeſidio habita, vbi ſelecta numismata aurea, argentea et aerea maximi moduli ex gazophylacio Arnſtadio Schwartzburgico explicat; pag. 22. ſqq. Aliam inſcriptionem, in qua nomina trium iſtorum cum anno Tr. P. IIII. SEVERI et Tr. P. IIII. CARACALLI coniunguntur, habet SCALIGER in animaduerſ. EVSEB. p. 228.

quidem Auguſtum, illum Caeſarem fuiſſe indicat, cum epigraphe: AETERNIT. IMPERI. Nempe eo non ſolum confirmatur id, quod SPARTIANVS de tempore huius ab iis ſuſceptae dignitatis tradidit, ſed haec etiam ſequuntur, quae antea diximus, eam rem Anno CCI exſtitiſſe, ſi quidem eo anno Trib. Pot. VIIII. SEVERVS ſuſcepit. Sed redeamus ad librum *de corona*. Huius locum ſupra excuſum dicimus intelligi optime poſſe ſi admittatur ſententia ea, quam nobis probaſſe ſatis videmur. Namque ex ea intelligi maxime poteſt, qui factum ſit, vt milites laureati incederent; quod nemo mirari debet, qui milites etiam triumphantes cinctos coronis fuiſſe nouit, quale quid hic fuiſſe facile perſpicitur. Nam et nunc ſubacti paene erant omnes, aduerſus quos SEVERVS exercitum duxerat, in primis Parthorum bellicoſisſima natio; et ipſe SEVERVS, cum propter articularem morbum agere triumphum de Parthis non poſſet, de Iudaeis tamen eum agendum filio, ac Parthici compenſandi gratia militibus forte ſigna triumphantium conceſsit. Quae ſi teneamus, ſimul illud aperitur, quo modo nunc turbandae pacis ſuspicio Chriſtianis potuerit oboriri. Iam enim proſtrati erant hoſtes Imperatoris omnes, ipſaque SEVERI iam otioſi aſperitas minabatur feueritatem ſummam, quam, diſtrictus adhuc grauioribus negotiis, non potuerat ſequi. Et iſti inflam-

flammandae maxime idoneum videbatur militis exemplum, quem eo quod coronam repudiaſſet, parricidium commiſiſſe, hoſtemque Caeſaris publicum exſtitiſſe, ſuo more deorum cultores arbitrabantur.

§. XX.

At, cum his argumentis inductus, librum *de corona* A. CC. ſcriptum eſſe contendam, video plerosque contra dicere, quamuis in diuerſas plane partes pronuncient. Namque ORSVS, familiae Dominicanae doctiſſimus monachus, eiusque adſtipulator HOFFMANNVS A. CXCVIII, BARONIVS A CXCVIIII. PAGIVS A. CCII., PAMELIVS et ALLIXIVS A. CCVIIII. poſtremo TILLEMONTIVS imperante MAXIMINO A. CCXXXV. eum editum fuiſſe opinatur. Sed iſti, ſi a TILLEMONTIO diſceſſeris, omnes ad vnum errarunt in eo, quod aliud donatiuum militibus a SEVERO datum intellexerint, quam quod dedebat intelligi. Quocirca ſuperſedere poſſemus iis confutandis, dum quale donatiuum hic fuerit a TERTVLLIANO indicatum, docuimus. At quoniam ex iſtius libelli tempore pendet plurimorum eius librorum chronologia, facitque iſta ſecus ſentientium confutatio plurimum ad confirmandam noſtram ſententiam, age! eas opiniones breuiſſime examinemus. Atque hic de opinione TILLEMONTII nihil atinet dicere propterea, quod tota iſta res ſatis

satis tractata videtur ab HOFFMANNO *), et plane sequitur illam haeresin, quae neque A CXVCIIII. neque paullo post TERTVLLIANVM vult ad Montanistas transiisse, quod alio loco disputauimus. Et in ista quidem parte disputationis rectius versatus est HOFFMANNVS, quam tum, cum suam ipse opinionem protulit. Vult enim hunc librum et eo tempore fuisse conscriptum, cum pax Christianorum ne a Praesidibus quidem, ne dum edicto Augusti labefactata fuerit, et anno quidem P. C. N. CXCVIII.; quorum illud effici credit eo, quod TERTVLLIANVS Christianos referat credidisse, pacem imprudenti militis, quem hic defendit, facto turbatum iri; hoc vero potentissimis ait ab ORSO demonstratum argumentis esse. Quae cum adhiberentur ab HOFFMANNO, vt labefactaret MOSHEMII τῦ μακαρίτυ sententiam de vera aetate Apologetici; hic quidem **) concedit, istam rem rite ab ORSO fuisse expositam, sed negat, id recte proferri, quod non simul pace vti Christiani potuerint, et ab hostibus tamen suis variis iniuriis affici. Atque ego tametsi ORSO non assentiar, potiusque refellam postea, sapienter tamen MOSHEMIVM pronunciasse agnosco, vbi res Christianorum

*) in diss. de TERTVLLIANI omnibus in Montanismo scriptis §. VI. p. 26. seqq.

**) in Addendis ad Vol. I. Diss. suarum ad Hist. Eccl. pertinentium p. 741 seqq.

rum dixit, cum aliis in prouinciis vrbibusque tranquillae fuerint, in aliis saepenumero a Praesidibus turbatas et talem rei Christianae faciem tempore scripti huius libri re vera fuisse. Pulchre enim id potest intelligi e libro TERTVLLIANI ad SCAPVLAM; quem editum esse imperante CARACALLO, plurimi eorum confidentur, qui quidquam in isto genere tentarunt; et apparebit id quidem ex iis, quae postea docebimus. Iam isto ex libro quis non videt, maximis tum calamitatibus expositos Christianos fuisse, Et nemo tamen vnus est inter scriptores veteres, qui Christianos sub CARACALLO vexatos esse tradat. Vnde hoc? Nimirum quia pace tum fruebantur nullo Augusti edicto turbata; sed a Praesidum tamen crudelitate non vacabant vbiuis. Tum vero se ita rem habuisse omnino, cum in litteras referret TERTVLLIANVS istas *de corona* opiniones, videri optime potest, si admittantur ea, quae nos quidem sentimus de istius libri aetate Contigit enim hoc facinus militis in Oriente, forte in Parthia etiam, vbi ante SEVERI edictum Christianos exagitatos fuisse non legimus vspiam; sed, quae a TERTVLLIANO enarrata sunt in Apologetico ceterisque eius generis libris, in Africa potissimum exstitere, vnde ceteri in Oriente Christiani plane vereri poterant, ne pace propter facinus militis priuarentur. Sed influent in animos forsitan potentius ORSI

argumenta; itaque quaenam quantaque ista sint, videbimus. Sunt vero excursionis Orsianae tres loci, quibus rem istam descripsit *). Primum monet, hunc librum A. CXCVIII. assignari debere, repetitque liberalitatis SEVERI apud veteres scriptores vestigia; deinde occurrit PAGIO, qui A. CCII. scriptum hunc librum existimauerat; tum ostendit, quae adductae sunt a TERTVLLIANO, huius liberalitatis περισάσεις omnes cum rebus A. CXCVIII. gestis egregie conuenire, sed pugnare cum quocumque anno alio. Igitur et nos sequemur doctissimi viri vestigia, quoniam veremur, ne misceamus ea, quae iam ab eo permista sunt satis, ac per singulos locos, quaenam recte dixerit, quaenam secus? adiecto breuiori argumentorum Pagianorum examine, indicabimus. In loco isto primo, qui est de numero liberalitatis SEVERI Augusti, quinquies ab eo donatos milites esse, nescio an satis recte? dicit, si quidem aliquot nummi septies eam commemorant **); sed potest id quidem salua re controuersa concedi. Neque tamen in eo ORSVS sibi constat ipse, quod

*) in diss. hist., qua ostenditur, Catholicam Ecclesiam tribus prioribus saeculis capitalium criminum reis pacem et absolutionem neutiquam denegasse; Sect. II. Cap. III. Digressione 2. p. 104 — 113. Ea prodiit Mediolani 1730. 4.

**) V. VAILLANTII numismata Impp. Rom. Tom. II. p. 234.

quod TERTVLLIANVM de donatiuo A CXCVIII. locutum esse iudicet (pag. 104.), et postea eum tamen dicat de quarta liberalitate a se indicata dixisse (p. 106). Est enim ista quarta ut ipse monuit, haec eadem plane, quae occupatam Ctesiphontem secuta est. Alterum locum, quem dedit opinioni PAGII examinandae, non repudiamus per se, sed sunt tamen in ista disputatione, quae omnino admitti non debent. Etenim id primum inepte dicit: TERTVLLIANVM de vrbanis militibus loqui, quibus ad costodiam vrbis fuissent ad portam Viminatem castra praetoria; cuius rei ne adest vlla quidem significatio, et extra Romam tempore belli, quis dubitet, castra SEVERVM habuisse? Deinceps quod nostrae sententiae maxime contrarium videmus, liberalitatem omnem dicit pacis tempore postque reditum e bello editam fuisse; qua de re SPANHEMIVS, quem obiter citauit, nihil prorsus habet. Istud vero ego si de congiariis dici posse concedam; de donatiuis quale hoc erat haud dubie, vehementer equidem dubito. Immo ipsa post captam Ctesiphontem edita liberalitas, admissa ab ORSO, num vllo modo per verba SPARTIANI alia intelligi potest, quam quae extra Romam in bello edita fuerit? Postremo in responsione ad alterum PAGII argumentum, male argumentatur, dari eius opinionem non posse propterea, quod Christiani vel pacem a Prae-

fidibus vel ab Imperatore turbandam timuissent; e quibus nec illud defendi posse, quia iam A. cc. vexati fuissent Christiani, neque hoc etiam, fuisse enim eo anno SEVERVM absentem et occupatissimum. Quod posterius oppido leue est. Nam et militibus donatiua extra Romam data sunt, et isto anno CCI. bello Orientali finem SEVERVS imposuit. Sed nihil, fateor, tribuendum est PAGII argumentis *). CARACALLI enim Quinquennali, quorum causa editam vult liberalitatem TERTVLLIANO commemoratam, ad A. CCIII. pertinent, vbi quis nescit iam Christianos fuisse propter SEVERI edictum omni scelere laceratos? Tum vero in altero argumento et hoc perperam dicitur, coeptas esse istas inimicitias a militibus, vt DIOCLETIANI tempore, atque omnis ista sententia defenditur propter eam opinionem, quod res Christianorum ante decimum SEVERI annum nondum fuissent turbatae; quod est supra satis confutatum. Tertius denique disputationis Orsianae locus, in quo verba TERTVLLIANI nullum annum praeter CXCVIII. attingere posse defendit, non est aequiore Ioue tractatus. Etenim quod istam liberalitatem SEVERI exstitisse ante expeditionem Parthicam putat, id vero habet aliquam ambiguitatem. Nam si ista bis edita est, primum A. CXCVII. post reditum SEVERI, quam

*) Ea proposuit in Critica Annalium BARONII ad a. C. CXCVIII. n. 3. p. m. 91. 92.

quam memoriae prodidit HERODIANVS, deinde A. CXCVIII. ante bellum aduersus Parthos susceptum, qualem SPARTIANVS tradidit; haec, vti diximus, nullo modo potest intelligi, nec videtur intellecta ab ORSO, qui ad eam rem confirmandam HERODIANVM citauit; illa vero ad rem nihil facit omnino propterea, quod eo anno nondum erat Augusti dignitas in CARACALLVM collata. Sed in iis locis, quos ex TERTVLLIANI Apologetico (c. 35.) libroque ad SCAPVLAM (c. 4.) attulit, non est quod multis versemur. Sunt enim isti a nobis eidem anno CXCVIII. ac sequenti vindicati, absque vllo causae nostrae detrimento, ceteraque, dum donatiua extra Romam distributa esse nouimus, sua sponte concidunt.

§. XXI.

Restant de anno scripti huius libelli decreta BARONII atque PAMELII ita comparata, vt conuelli nullo negotio possint. Namque BARONIVS *), vt probaret, eum librum exaratum esse A. CCI, ante quam SEVERVS proficisceretur in Orientem h. e., vt nos loqui rectius solemus, A. CXCVIIII., numum excitat, cuius altera pars SEVERVM cum Tr. P. XI., altera liberalitatem V habet, additque multo etiam asseuerantius: *hunc numum ad res nostras, de quibus acturi sumus, perti-*

*) V. eius annales Ecclesiast. ad a. CCI. Tom. II. Ed. Col. 1609 pag. 299.

pertinere certo scias. Quod mihi videtur eo planissime modo dictum, quo olim Pythagoraei, cum ex iis quaereretur, quare ita quid esset, illud suum *ipse dixit* interponere solebant; nihil est enim ab eo BARONII effato veritate disiunctius. Nam cum clare tradat, annum Tr. P. SEVERI septimum eo anno initium sumsisse, et tamen numum excitet cum Tr P. XI., qui plane ad A. CCIV., aut, si mauis cum ipso BARONIO, ad A. CCVI. referendus est; nonne repugnantia loquitur? Ac de altero eius argumento quid dicam? quod duxit ab eo, quod ante hanc expeditionem Parthicam nullae, post eam multae calamitates Christianorum exstiterint. In quo peccauit dupliciter; primum, quod eas ante fuisse negauerit, quam profectus sit SEVERVS aduersus Parthos, deinde quod librum *de corona* eo *de spectaculis* posteriorem esse non cogitauerit. Atque illud confutauimus suo loco; hoc vera vti nemo negare potest, nisi cui tenebrae sint mero meridie (est enim et hoc satis disputatum); ita de vexatione Christianorum, lege SEVERI antiquiore, non potest sermo esse in eo *de corona*, vbi Christiani dicuntur istas calamitates tamquam venturas extimescere; cum tempore eo, quo TERTVLLIANVS in chartam coniecit librum *de spectaculis*, iam ad Christianos impetum suum deorum cultores conuertissent. Quare, ex ipsius BARONII mente, librum de coro-

corona ad decimum SEVERI annum referri oportebit.

§. XXII.

Ad ALLIXIVM venio doctisſimum virum, quem miror tam docilem ſe praebuiſſe ad PAMELII ſententiam, quo dubito an quis magis contra auſpicia ad definiendam ſcriptorum TERTVLLIANI aetatem accesſerit? Atque iſti PAMELIO, quoniam liberalitatis mentionem TERTVLLIANVS iniicit, libellus ad A. CCVIIII. atque ad decennalia ANTONINI plane referendus videtur *). Sed eius quidem liberalitatem in iſtis decennalibus exſtitiſſe, non probat PAMELIVS, ſed plane fingit ad libidinem. Tamen alio quodam loco **) ad numum prouocat dicis cauſa, eumque huius argumenti: IMP. CAES. L SEPT. SEV. PERT AVG - - - LIBERALITAS AVGG. S. C Hic primum mihi quis dicat, vbinam ſint decennalium notae? Deinde cum ego non ignorem, SEVERVM et CARACALLVM militibus populoque communiter aliquid dediſſe in decennalibus; numquid plura his congiaria non ſunt aut donatiua edita? Nemo vero id quidem absque temeritate aut ignorantia dixerit. Immo ſi quidem PAMELIVS auſus eſt aliis obtrudere annum CCVIII. absque omni ratione idonea; nobis vicissim

*) in vita TERTVLLIANI, praemiſſa eius operibus a PAMELIO Colon. 1617. editis. p. 22. E.

**) in notis ad hunc librum pag. 210. n. 1.

sim non potest vitio verti, si annum CCI. intelligamus; hoc enim anno et liberalitas edita est, et ab Augustis etiam. At quamuis omnino turpiter se ipse dederit, tamen ALLIXIVS *) secessit in eius sententiam; nam in libro *de corona*, inquit, excitatur libellus *de spectaculis*, qui scriptus est A. CCIIII. Id vero inepte dictum esse a PAMELIO, quem vnum sequitur, facile intelliget, quicumque secum reputauerit ea, quae supra de isto libello pronunciauimus; neque, si verum hoc esset maxime de eo super spectaculis, caussam esse perspicimus, qua propter liber *de corona* ad A. CCVIII. non ad alium referri deberet. Neque ad eam rem defendendam rectius adhibuit errores Montanistarum in libro *de corona* occurrentes. Quos equidem isti libro non nego inesse; sed eo argumento id posse effici, quod debebat, hoc vero numquam percipietur nisi ab iis, qui demum eo anno TERTVLLIANVM putant ad Montanistas transiisse.

§ XXIII.

Sed satis diu nos tenuit de libro super corona institutio; itaque nobis est properandum ad alios quosdam libros, et eos quidem, quos TERTVLLIANVS *de cultu feminarum* composuit. Atque hic non videtur a susci-

*) in rarissima. diss. de TERTVLLIANI vita et scriptis. Cap. VI. p. 49.

ſuſcipienda diſputatione alienum, praemonere, qualis fuerit olim horum librorum inſcriptio, atque diſpicere, fueritne poſterior libellus cum altero a TERTVLLIANO eodem tempore editus? Videlicet qui ante NIC. RIGALTIVM libros TERTVLLIANI ediderunt, hi alterum *de habitu muliebri* dicebant, alterum de *cultu feminarum.* Sed iſte RIGALTIVS, cum potitus eſſet vetuſtiſſimo illo codice AGOBARDI, primus auſus eſt, vtrumque *de cultu feminarum* inſcribere. Itaque et nos nulli dubitamus, hos libros non disiunctos vmquam fuiſſe, ſed vnicum quaſi effeciſſe volumen, non iſta ſolum codicis Agobardini auctoritate moti, ſed etiam propterea, quod ipſa horum librorum ratio argumentumque ſuadeat, poſteriorem non ita multo poſt priorem a TERTVLLIANO editum fuiſſe. Quod enim PAMELIVS, qui inſcriptionem alias receptam ſequebatur, vix potuit concoquere; quod, cum TERTVLLIANVS cultum ab ornatu in priori libro ſubtiliter diſtinxiſſet, tamen in poſteriori, *de cultu feminarum* appellato, ornatum mulieris pertractarit, ea quidem difficultas, ſublata inſcriptione vtriusque libri diuerſa, ac argumento eius ſtudioſe cognito, mirum in modum euaneſcit. Vt enim TERTVLLIANVS habitum feminae cultu et ornatu effici dixerat, ſuperioris iſtius generis exempla putat mundum muliebrem, aurum, argentum, gemmas, veſtes, et quae ſunt gene-

ris

ris eiusdem; posterioris vero curam capilli et cutis et earum partium corporis, quae, vt ait, oculos trahunt Atqui in priori libro aurum, argentum (cap. 4.), gemmas (c. 5.), vestes pertractat (c. 7.); in posteriori de obseruanda pudicitia in cultus et ornatus institutione agit vniuerse (cap. 1 — 5.). deinceps de colore ornamentoque capillorum, omnemque librum finit monitis quibusdam de ornatu pudicitiae aduerso. Quare eum in illo de cultu, in hoc de ornatu feminarum egisse, ac tamquam partes vtrosque vnum librum constituisse clarum est. Nam quod TILLEMONTIVS ait *) manifestum esse quod isti duo libri separati fuerint, nec referri vnus ad alterum vllo modo possit, id vero facilius dicitur quam probatur, et ne refelli quidem debet, est enim ignorantis. Atque etiam alia est istius sententiae nostrae probatio: nam in posteriori libro impendentium Christianis malorum haud dubiam mentionem iniicit, quorum in priori nulla est significatio. Iam si aerumna tum fuissent adfecti, quomodo TERTVLLIANVS abstinuisset a commemoranda ea, vt feminis Christianis luxum dissuaderet, cum eo argumento alias frequenter vtatur? Sed cum prior iste libellus posterior sit eo *de spectaculis*, quod deinceps apparebit; dicat mihi quis, vtrum in illo quoquam

*) Memoires p. I. à l'hist. Eccles. Tom. III. p. 662. not. 12.

quam anno, qui effluxit ab eo, quo scriptum *de spectaculis* librum diximus, ad annum CCII., quo coeptae sunt aduersus Christianos inimicitiae, pace Christiani vsi fuerint, nisi forte A. CCI. aut CCII. Namque a reditu SEVERI ex Gallia ad annum CCI. fuisse Christianos maxime vexatos, et ordo librorum docet a nobis in superiori huius disputationis parte constitutus, et historia martyrum Scillitanorum (V. sup. §. VI.) Itaque cum fere post partem anni CCII. priorem editum fuerit SEVERI edictum, vt suo loco docebimus, vix potest prior *de cultu feminarum* libellus editus alio tempore dici, nisi eo fere, quo in lucem posterior eius argumenti liber prodiit.

§. XXIV.

Quorsum haec omnia? Nimirum vt intelligatur, si tempus scripti alterutrius libri constat, utriusque aetatem reperiri. Quam ob rem vt certissimam sequamur eius temporis significationem in libris ipsis; vtemur calamitatibus, quibus tum expositos fuisse Christianos TERTVLLIANVS ait, quasque tempore eo, quo alterum *de feminarum cultu* libellum componeret, fere initium sumsisse verba docent (l. II. c. 13. p. 181. C.): *Tempora Christianis semper, et nunc vel maxime, non auro sed ferro transiguntur, stolae martyriorum praeparantur.* Quae quidem intelligi de superiore Christianorum

norum vexatione a plebe facta nequeunt propterea, quod in priore huius argumenti libro ad librum *de spectaculis* prouocat (c. 7. p. 173. C.). Namque ego mihi persuadere haud possum, TERTVLLIANVM voluisse hunc excitando graecum similis argumenti librum significare, quoniam et latinum graeco antiquiorem esse ostendimus (§. XIIII.) et ista TERTVLLIANI admonitio, qua quid a Deo esse posse pronunciat, tametsi eius rei abusus Deum non habeat auctorem, in latino *de spectaculis* libro omnino occurrit (cap. 2.) Enimuero cum *de spectaculis* scriberet, iamdudum summis malis affligebantur Christiani, de quibus ne verbo quidem in isto priori *de cultu feminarum* libro loquitur, et tempore posterioris libelli denuo imminebant: quare nec ad priorem sub SEVERO vexationem referri hi libri vllo modo possunt, sed ad annum potius P. C. N. CCI. aut II; prouti quis velit male Christianorum tum orta vel impendentia credere. Neque vero est, quod TILLEMONTIVM audiamus opinantem *), demum post annum CCIII. editum esse librum priorem, posteriorem vero multo ante, et anno quidem CXCVII. Nam in eo loco, quem excitauit **), atque potest TERTVLLIANVS priorem SEVE-

*) l. c. p. 210. Art. VI.

**) e lib. I. c. 6. *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romae de fastidio Parthorum et Medorum, ceterorumque gentilium suorum coram matronis erubescentem.*

SEVERI ex Parthia reditum aut legationem quamdam Parthorum habuisse in animo, quam illam de Parthis victoriam posteriorem. Quod vero caussam aliquam esse dicit credendi, istum librum, quem nos posteriorem dicimus, multo ante esse scriptum, quam alterum ediderit; de eo, quoniam TILLEMONTIO non placuit eius opinionis rationem reddere, nobis vicissim placet tamdiu dubitare, quod eius generis aliquid productum ab alio quodam viderimus.

§. XXV.

Eidem tempori suam quoque originem debet liber *de fuga in persecutione*. Quod argumentum iam in illo *de corona* alias disputandum promiserat (cap. 1. p. 120. C.); cuius loci verba tametsi ad Scorpiacen potius nonulli referenda putauerint; est tamen iam aliis obseruatum, quod intelligi haec quidem non possit propterea, quod eam haereticis, sed illam *de fuga* commentationem timiditati eorum oppositit, qui erant socii Orthodoxae Ecclesiae. Igitur appareret, libellum *de fuga* demum post A. CCI. a TERTVLLIANO editum fuisse. Atque ego nullus dubito eum librum statim anno sequenti vindicare. Equidem ista lenitate ac modestia TERTVLLIANI non vtar, quae notari meretur in libro, in quo quaestionem ponit, quae Montanistas separabat a puriori Ecclesia, quibus tamen eum tum fuisse

se addictum nemo dubitabit *); dicere enim quis posset, TERTVLLIANVM, cum ad eum ista perscriberet, qui stabat a partibus Orthodoxorum, se quidem temperasse a verbis durioribus. Sane grauius aliquod argumentum positum est in eo quod, cum nostrum libellum ederet, iam coepisse quaedam aduersus Christianos flagitia dixerit. Ita enim orditur: *Quaesisti proxime*, FABI *frater*, *fugiendum nec ne? sit in persecutione*, *quod nescio quid annuntiaretur*. Et paullo post: *hanc materiam et tua consultatio commendauit et conditio temporum suo iam nomine iniunxit. Quanto enim frequentiores imminent persecutiones*, *tanto examinatio procurando est*, *quo modo eas accipere fides debeat.* Denique (p 689. C.): *Haec pala illa*, *quae et nunc dominicam aream purgat*, *Ecclesiam scilicet*, *confusum aceruum fidelium euentilans*, *frumentum martyrum et paleas negatorum.* Sed quaenam hic intelligenda sit Christianae familiae vexatio, neminem fugere potest, qui superiorem illam A. CXCVII., posteriorem A. CCII. contigisse, nostrum vero

*) Argumento esse potest Paracleti Montanistarum commemoratio, quem dicit non recipi ab iis, ad quos frater ille pertinebat, cui librum inscripsit (c. 1. p. 689 B.) Spiritus praeterea effatum ad testimonium citat; (cap. 9. p. 696. A.), quod cum in sacro codice non occurrat, haud dubie Spiritus Montanistici est; de quo etiam c. 11. et c. 14. loquitur.

ro libellum post opiniones Montanistarum a TERTVLLIANO susceptas scriptum esse animaduerterit Igitur ad finem fere A. CCII. editam esse hanc de fuga disputationem dicimus maxime propterea, quod anno incipiente SEVERVS adhuc fuerit in Syria versatus; vnde vix dici potest ante confectam mediam eius anni partem suam aduersus Christianos legem tulisse

§. XXVI.

Nunc accedimus ad TERTVLLIANI *Scorpiacen*, quam quidem anno CCIIII. asserere eiusque sententiae rationem reddere decreuimus. Quod opus cum aggrediamur, non dubitamus fore plerosque, qui istam sententiam nostram minime audiendam esse dicant Etenim stat fere omnibus, quos ista de re nouimus disputantes, *Scorpiacen* TERTVLLIANI esse perscriptam post editos demum libros, qui aduersus MARCIONEM nostro adhuc tempore habentur. Idque videntur sibi vt praescriptum et quasi imperatum defendere eam ob caussam, quod in quinta *Scorpiaces* sectione Marcionitas ait didicisse a se, deum suum esse bonum, quam rem certe in primo alteroque contra MARCIONEM libro ex instituto disputauit. Atque ego non ignoro, libros aduersus MARCIONEM, primum saltim, A. CCVII. aut CCVIII. editum a TERTVLLIANO fuisse, ideoque et veritati consentaneum videri illud, quod

quod *Scorpiacen* anno demum CCVIII. aut postea ediderit Sed cum semper requiram, quid sit in quaque re maxime probabile, hoc in argumento quanta vis insit, placet quodam modo expendere. Cum TERTVLLIANVS aduersus MARCIONEM librum primum, quem superstitem habemus, componeret, iam quidem ipsi se scribendo bis opposuerat, sed vnam harum commentationum, cum postea pleniorum de ea re disputationum instituisset, rescidit, alteram amisit fraude cuiusdam, qui eam descriptam cum aliis communicauerat. Huius damni resarciendi caussa eos nunc aduersus MARCIONEM libros superstites elaborauit, et primum quidem anno SEVERI Imp. XV., vt ipse fatetur in eo libro (c. 15.) in quo de iis, quae modo diximus, exposuit (c. 1.). Quae cum animo cogitem, dubium profecto videtur, vtrum TERTVLLIANVS in libro, quem *Scorpiacen* appellavit, eos respexerit aduersus eum libros, qui ad aetatem nostram non peruenerunt, an eos potius, quos superstites esse nouimus; erant enim illi eiusdem argumenti. Iam ego non disputo, quid sit ex his eligendum? quod apparebit suo loco; sed id quidem manifestum esse omnes vident, quod dubia sit ista argumentandi ratio eorum, qui secus sentiunt, et parum praesidii inueniat in argumento eo, quod ex facta ista commemoratione posset ad librum A. CCVIII. aut sequen-

quentibus vindicandum duci. Neque obstat, quo minus ista de re dubitemus, HOFFMANNI responsio, qua TILLEMONTIVM hic prudenter haesitantem excepit „primum, inquit, (diss. cit. §. XIIII. p. 44.) opusculum, vt exile, ipse suppresit, alterum inuito TERTVLLIANO, cum adhuc rude nec satis exasciatum esset, fraude alterius vulgatum, nec a SEPTIMIO agnitum est; tertium non exstat. Iam cum vix verisimile sit, prouocasse TERTVLLIANVM ad eam controuersiae Marcioniticae tractationem, quam ipse suppresit vel numquam agnouit, supereſt, vt intelligantur libri, qui nunc in manibus nostris sunt." Atque hic quidem non lubet multis notare ea, quae de altera istius argumenti commentatione HOFFMANNVS non satis accurate disputat, quasi ea, cum ederetur, nec satis elaborata fuerit, nec a SEPTIMIO agnita. Hoc certe non capio, quo modo possit id e TERTVLLIANI verbis intelligi, qui *hanc quoque*, inquit, *nondum exemplariis suffectam*, (h. e. nondum pluribus codicibus descriptam) *sed vno tantum* (quod is abstulit) *fraude tunc fratris, dehinc apostatae amisi, qui* FORTE *descripserat quaedam mendosissime et exhibuit frequentiae.* Omnia nunc ab HOFFMANNO tametsi recte dicta dederim; tamen, si in eius argumento ea sumta sunt, quae demum concludi debebant, omne illud argumentum nihil efficere, nemo negabit. Igitur si ista

opinione de libris, qui ſuperſunt, aduerſus MARCIONEM, Scorpiace ſuperioribus, ante volumus adſtricti teneri, quam quid hac in re rectisſimum ſit iudiciauimus, haud veriſimile id eſſe fateor, quod TERTVLLIANVS aliquem librum ſuppreſſum vel agnitum numquam, in Scorpiace laudauerit. Sed iſtud fac nondum eſſe exploratum, vt eſt vere, adeoque forte ante illos ſcriptam Scorpiacen eſſe; citare primum alterumque volumen contra MARCIONEM, nunc amiſſum quidem, ſatis commode potuit; primum enim opuſculum, vt ait ipſe TERTVLLIANVS, demum *pleniore poſtea compoſitione reſcidit*, et citari id quidem poterat, cum accuratiori oratione nondum haec perſecutus fuiſſet. Quam ob rem in iſto HOFFMANNI argumento vel ea iam tamquam vera ſumuntur, quae plane ſunt in controuerſia, vel relinquuntur in medio potius. Quodſi illud eſt, ſane eius argumentum redit in orbem; ſin hoc, noſtra quidem ſententiae non eſt inferior Hoffmanniana. Sed, remota hac difficultate, quae fraudi nobis eſſe poterat, ſcriptae Scorpiaces aetatem nunc age! definiamus.

§. XXVII.

Cum TERTVLLIANVS, quae de martyrii dignitate diſputare in iſta Scorpiace volebat, in litteras referret; erant deorum cultores in Chriſtianis funditus delendis occupati; quod vniuerſum docet argumentum huius libel-

libelli iis haereticis oppositi, qui, *cum fides aestuaret, et Ecclesia de figura rubi exureretur*, suscipere propter religionem mala turpe putabant (c. 1. p. 616. C.). Huiusmodi mala iam oportet atrocissima fuisse, vt verba TERTVLLIANI ostendunt, quae in eadem sectione subiicit: (p. 617. A.). *Et nunc praesentia rerum est medius ardor, ipsa canicula persecutionis, ab ipso scilicet cynocephalo. Alios ignis, alios gladius, alios bestiae Christianos probauerunt.* cet. Atque hic nullum est dubium, quin intelligenda sit vexatio ea, quae post SEVERI edictum exardescebat; si quidem hunc librum post illum *de fuga in persecutione* composuit. Namque TERTVLLIANVM nusquam legimus probantem, quod tales propter religionem calamitates deum auctorem agnoscant, nisi in isto *de fuga* libello, eiusque in primis tertia sectione; qua tamen de re se iam fuisse olim commentatum, ait in quarta Scorpiaces sectione (p. 620. B.). Sed, vt de aetate huius libri presius dicam, prorsus eum existimo prodiisse A. CCIIII. Vbi primum mihi hoc argumento est, quod, cum EVSEBIVS (H. E. VI. c. 2. Ed. Cantabrig. p. 257.) calamitates a SEVERO summa vi Christianis illatas esse dixisset, et ita quidem, vt multi iam Antichristi aduentum appropinquantem putarent; neque is ipse neque quis alius scriptorum veterum alia mala litteris consignauerit, praeter ea, quae

anno SEVERI decimo, sub LAETO, Africae Praeside, Christianis contigerunt, et anno sequenti auctore AQVILA, Praeside eiusdem prouinciae. (EVSEB. l. c. c. 3. p. 261.). Nam quod haec eo anno exstiterint, ipse EVSEBIVS docet, qui ORIGENEM tum Catechumenis instituendis praefectum fuisse confirmat, dum AQVILA se incremento Christianae religionis eius asseclas laedendo opponebat, eumque XVIII. annorum fuisse; cum eum XVII. aetatis annum egisse dixisset eo tempore, quo pater eius LEONIDES morti traderetur (c. 2. p. 258.), quod factum est anno decimo SEVERI. Iam si qui tamen pergunt opinari, nostrum libellum scriptum esse A. CCVIII.; dicant mihi tamen, quonam iure ei anno calamitates maximas Christianorum possint asserere, quarum nulla tamen apud veteres scriptores exstat memoria? Quo loco libet admirari tot doctissimorum viorum leuitatem, qui, cum semel imbibissent opinionem de Scorpiace libris nostris contra MARCIONEM posteriore, obliti sunt eius, quod nihil sit in historia turpius, quam temere credere. Nam si ego duas sententias ferri videam, alteram opinabilem, sed nullo veterum scriptorum testimonio efficiendam, alteram ita comparatam, vt prae se ferat hoc veritatis praesidium; quidni, relicta illa, hanc sequerer? Atqui praeter hoc praesto est argumentum, idque premendum etiam atque etiam, si qui-

quidem postea ostenderimus, librum TERTVLLIANI *de pallio* esse in annum CCVIII. coniiciendum. Namque in eo (c. 1.) *gaudeo vos*, inquit, *Carthaginienses, tam prosperos temporum, cum ita vacat ac iuuat habitus denotare. Pacis haec et annonae otia, ab imperio et a coelo bene est.* Vbi quo modo TERTVLLIANVS potuisset temporis prosperitatem commemorare, aut ad res nullius plane momenti, quales sunt istae de pallio nugae, descendere ob pacis otia, si gravissimae tum fuissent Christianorum calamitates, quales eas in Scorpiace depingit? Itaque quam alii fere quinquennio tardius putarunt scriptam Scorpiacen, prius vtique prodiisse arbitror, quam istae, quae supersunt, aduersus MARCIONEM disputationes, et anno quidem CCIII. aut CCIIII.; cuius EVSEBIVM testem rectissimum habemus, qui nusquam id quidem dicit omnino, sed, vti vidimus, quae dicit, idem fere ostendunt. Vbi mihi quidem magis placet iste posterior annus, propter ludos, quos nuper admodum editos TERTVLLIANVS dicit *). Quos si quis mauelit editos credere in decennalibus SEVERI et CARACALLI quinquennalibus,

*) Cap. 6. p. 622. A: *Agonas istos, contentiosa sollemnia et superstitiosa certamina Graecarum et religionum et voluptatum, quanta gratia saeculum celebret, etiam Africae licuit. Adhuc Carthaginem singulae ciuitates gratulando inquietant, donatum Pythico agone post stadii senectutem.*

libus, non repugnabo admodum; quoniam id satis est a SPANHEMIO, viro in his litteris probato sane et maxime nobili, euictum *), Pythia alibi quoque quam Delphis, nec in vnius Apollinis Pythii honorem, sed Imperatorum etiam acta fuisse. Tamen ego alterum praetulerim propterea, quod ludi Pythii sint in Graecia quouis tertio anno Olympiados editi, ipseque tertius Olympiados CCXLV. annus incidat in Annum P. C. N. CCIIII. Atque sic nulla vis infertur verbis TERTVLLIANI, quae quidem, si ii ludi editi Carthagine dicuntur, vbi Carthago ipsa praemio non poterat donari, non satis bene videntur cohaerere.

§. XXVIII.

Praeter hunc TERTVLLIANI librum supersunt ex iis, qui scripti sunt, cum iam ab Orthodoxis degenerasset, *aduersus* MARCIONEM libri V. quos dubium non est argui Montanisticorum errorum posse. Etenim, si maxime dubia videretur ipsius TERTVLLIANI professio (lib. IIII. c. 22. p. 537. C), qua suos dicit et Psychicos in loco de Ecstasi dissentire; neque quis visorum rationem habere velit, quibus ista decreta, ait, confirmata fuisse; (l. III. c. 24. V. c. 8.) quoniam omnes isti contra MARCIONEM libri

*) in Epist. I. ad ANDR. MORELLVM, quae est adiecta huius specimini vniuersae rei numariae antiquae, in Ed. Lipsi. pag. 12. seq.

bri non sunt vno tempore editi: tamen in libro eius argumenti primo MONTANI disciplinam et suam dicit, et se decreta sua de fugiendis repetitis nuptiis auctore Paracleto defendentem (c. 29); ac ipsa temporis ratio docet eum librum scriptum esse postquam a partibus Montanistarum iam esse coeperat. De quo altero loco, quem disputandum sumsimus, cum dubitare ne in mentem quidem venerit multis eorum, qui in definienda librorum TERTVLLIANI aetate laborarunt, et ab aliis multa perperam dicta sint; subtilius videmur nobis, re saepius cogitata, disputare debere. Atque, vt de libro primo primum dicamus, nemo est qui eius aetatem controversam esse dicat. Recte quidem et satis bene; est enim aperta eius rei et capitalis TERTVLLIANI professio (lib. 1. c. 15.), qui anno decimo quinto SEVERI hunc librum a se compositum fatetur. Sed cum de ceterorum aetate nihil dicant, ipso hoc silentio eos declarant eiusdem aetatis esse. Quod longe secus est. Nam ex verbis iis, quibus finem libro primo TERTVLLIANVS imposuit *); haud obscure colligitur, eum esse separatim editum, ceteros diverso tempore exaratos. Etsi autem non audemus dicere, an alterum, tertium et quartum seorsum aut coniunctim, ac

*) *Si cui minus quid videmur egisse, speret reseruatum suo tempori, sicut et ipsarum scripturarum examinationem, quibus* MARCION *vtitur.*

ac quonam tempore scripserit; id tamen dubio carere confirmamus, quod quintum librum TERTVLLIANVS non eodem cum reliquis tempore ediderit. Est enim liber *de resurrectione* recentior eo, quem *de carne Christi* composuit *), in quo **) locum excitat ex libro aduersus MARCIONEM quarto, de quo postea dicemus. Enimuero in quinto Antimarcionis libro (c. 10. pag. 594. A.) ad eum remittit, quem *de resurrectione* scripserat; vnde TERTVLLIANVM patet alio tempore, quam quo quartum edidit, quintum in lucem protulisse. Pariter in primo Antimarcionis (c. 1.) opus *de praescriptione haereticorum* se confecturum aliquando pollicetur; sed in libro *de carne Christi* tale iam dicit a se scriptum fuisse (c. 2.); igitur et hoc ostendit, primum non esse eodem partu cum ceteris omnibus editum. Quae cum ita sint, certe quidem confirmamus, primum aduersus MARCIONEM librum A. P. C. N. CCVII. aut, si mauis CCVIII. prodiisse, cum XV. SEVERI annus in vtrumque incidat, sed de ceteris, quando sint scripti, dici nihil posse, nisi hoc, quod quintum reliquis aequale non sit.

§. XXIX.

At quod verebamur fore, vt quale in loco de Scorpiae diximus, libros contra MAR-

*) de resurrect. c. 2. p. 379. D. 380. C.
**) de carne Christi. cap. 7. p. 364. A.

MARCIONEM ibi citatos non eos esse, quos habemus superstites, sed alios abrogatos quasi, et dudum amissos, tale etiam his argumentis nostris nonnulli obiiciant, id fere factum videmus a TILLEMONTIO *), qui istam rem pugnacissime defendit. Oportet igitur et ea, quae pro nostris responderi possunt, in medium proferri, et discuti ea, quae in illam partem TILLEMONTIVS disputavit; sed utraque breuissime, et ita quidem, vt quae aperto firmauimus ipsius TERTVLLIANI testimonio, ea nunc plane mittamus. Itaque hoc vnum disputari potest: vtrum TERTVLLIANVS in libro *de carne Christi* quartum contra MARCIONEM librum citauerit, quem adhuc superstitem habemus? quod prorsus existimo, primum, quoniam in illo libro MARCIONIS codicem sacrum examinauit, et ibi **) reperitur omnino id, quod in eo *de carne Christi* tetigit: deinde quod, cum librum primum adhuc superstitem MARCIONI opponeret, librum *de praescriptione haereticorum* nondum ediderat. Hic tamen vti iam prodierat in publicum, cum TERTVLLIANVS de carne Christi commentaretur, quod modo probauimus; ita necesse est sane, vt tum quoque primus inter superstites contra MARCIONEM libellus iam editus fuerit. Enimuero cum hunc scriberet, duo illa

*) Memoires pour servir a l'hist. Eccel. Tom. III. p. 666. not. 19.

**) Lib. IIII. c. 19.

illa opuscula, quibus olim MARCIONEM impugnauit, resciderat amiseratque TERTVLLIANVS; quocirca apparet, eum in libro de carne Christi ad illa remittere lectores non potuisse. Sed TILLEMONTIVM tamen contra disputantem audiamus. Is primo hos TERTVLLIANI: *Scorpiacen*, *de carne Christi*, *de anima*, et *de resurrectione* libros ait superiores dici posse libris, qui supersunt aduersus MARCIONEM, huiusque nominis in iis citatos esse eos, qui dudum periere Ac de *Scorpiace* ego non repugno; est enim illa quaestio supra satis tractata: sed de ceteris non assentior. Nam de libro, qui *de carne Christi* inscribitur, modo diximus quid sit sentiendum, cui si quis resistere velit, eum audiemus. Atque cum hoc ostendimus, simul illud aperiebatur, a libro *de resurrectione*, (qui eo est haud dubie recentior), quod TILLEMONTIVS contra volebat, remotissimum esse. Denique quod animus hominis non aliunde agitetur, in libro *de anima* (c. 21. p. 234. C.) ait se MARCIONEM docuisse. Atque ista de re cum multa dixerit in altero, qui supereſt, aduersus eum libro (c. 6. seq.); non absurdum est dicere, quod hunc in illo respexerit; nec tamen mordicus id quidem tenebimus, qui vsi non sumus istius libri testimonio. Altera dubitatio etiam puerilis est. In loco eo, quem e libro de carne Christi ad testimonium citauimus, TERTVLLIANVS illum librum con-

contra MARCIONEM, quem appellauit, *libellum* dixit; itaque quartum inter ſuperſtites non voluit laudare, qui non libellus ſit, ſed magnum volumen. Inepta concluſio! quaſi vero TERTVLLIVNVS omne opus contra MARCIONEM non *opuſculum* dixiſſet (lib. I. c. 1. c. 31. II c. 1. cet), aut quaſi is dici libellus non poſſet, qui partem maioris operis conſtituit. At eo modo dicendum eſt, TERTVLLIANVM opus nondum perfectum citaſſe! Hoccine vero et potuit tanto viro ſcrupulum iniicere, qui millies in commentariis ſuis ipſos libros ſuos numquam abſolutos anteſtatus eſt? eodemque modo TERTVLLIANVM egiſſe quis negabit, ſi quidem noſtras noſtri argumenti vindicias legerit. Denique dicit TERTVLLIANVM de loco: quo ſancti viri contineantur a morte ad vltimi iudicii diem, alia in libro *de anima* (c. 55.) *deque reſurrectione* (c. 43), alia in Antimarcione (IIII. c. 34.) tradere. Audio. Sed numquid iſti libri pugnant in iis locis, quos ſe ait in diſputatione aduerſus MARCIONEM pertractaſſe? Hoc vero nec TILLEMONTIVS vmquam probauit, nec quisquam, ſi in aliis ad cauſſam propriam non pertinentibus a ſe TERTVLLIANVS defecerit, dicet, admitti talem concluſionem poſſe.

§. XXX.

Iam nobis libellum *de pallio* tractandum ſumamus, obſcurum illum quidem et ſatis con-

confusum, sed magna tamen omnis antiquitatis scientia refertum. De cuius aetate cum sint tot discrepantes virorum doctissimorum sententiae, id agamus necesse est, vt vel eas candide examinemus, vel nostram proponamus. Existit autem hic primo loco quaedam quaestio facile expedienda, quaenam sit ista *praesentis imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in vnum fauente*, cui TERTVLLIANVS tribuit eorum temporum felicitatem *). Namque alii **) his vnum SEVERVM indicatum volunt propterea, quod tres illos imperii aemulos IVLIANVM, NIGRVM et ALBINVM superauerat; alii cum NIGRO et ALBINO SEVERVM ***); alii ALBINVM, SEVERVM et ANTONINVM ****), denique alii SEVERVM cum duobus filiis BASSIANO GETAQVE intelligunt. Sed trium priorum opinionum nullam probo. Nam ea GVTHERII opinatio contorta est et perinepta, vt paene nesciam, an quis vmquam tam aperte et peruersa et falsa secutus sit. Non tangam id quidem, bonum virum non vidisse, triplicem illam virtutem *praesentis* imperii, Deumque dici *tot*

*) c. 2. p. 133. C: *Quantum vrbium aut produxit aut auxit aut reddidit praesentis imperii triplex virtus! Deo tot Augustis in vnum fauente, quot census transscripti?* — —

**) IAC. GVTHERIVS de officiis domus Augustae. Edit. Lipsi. p. 277.

***) CENTVRIATORES MAGDEBVRGICI. Cent. III. pag. 241.

****) PAMELIVS in vita Tertull. p. 10. D. 14. F.

tot Augustis fauisse in vnum, hos etiam multas vrbes produxisse, auxisse, reddidisse; quod dicat mihi quis, an de IVLIANO, NIGRO et ALBINO affirmari queat? maxime tum, cum iam essent interemti Nec dicam, quam male adhibita sint HERODIANI verba (lib. III. c 7.), qui SEVERVM miratur ἕνα ἄνδρα τρεῖς καθελόντα βασιλέας ἤδη κρατοῦντας; sunt enim haec iam a BOECLERO satis disputata *). Hoc vnum iubet examinare, quod ad rem nostram in primis pertinet, vtrum GETA, viuo SEVERO, numquam sit factus Augustus. Quod cum velit GVTHERIVS, primum GETAM SEVERI fratrem a GETA Caesare, SEVERI filio, non quidem, vt par erat, distinguit. Nam cum SPARTIANVS (in Sev. c. 10.) SEVERVM dicit filium suum BASSIANVM Caesarem appellasse, vt fratrem suum GETAM a spe imperii, quam ipse conceperat, submoueret, nonne consentaneum est, eum de GETA, SEVERI fratre, fuisse locutum? Deinde quod in multis Codicis titulis nomina SEVERI et ANTONINI Augustorum reperiantur, sed GETAE nunquam, hoc vero ad rem nihil facit omnino, ab eo enim tempore, quo GETA dignitatem Augusti suscepit, vt postea docebitur, semper fuit partis in bello comes; in quo quod de legibus ad rem publicam spectantibus cogitare non potuerit, nemo mirari debet. Id vero nullo modo ferendum est, quod GETAM, patre viuente, Augu-

*) in annot. ad Herod. p. 420.

Augustum appellatum esse neget, numisque vtatur ad hoc efficiendum, in quibus GETAE Tr. P. II. legitur. Nam cum ipse adiiciat, GETAM, mortuo patre, cum fratre non nisi X. menses XV. dies regnasse: necesse est sane, vt GETA ante patris mortem Augustus sit appellatus. Altera opinio doctissimorum virorum, qui Magdeburgi historiae sacrae centurias composuerunt, SEVERVM cum NIGRO ALBINOQVE statuit fuisse illam triplicem virtutem, et recte, vt cum TILLEMANTIO loquar, erroris conuincitur eo, quod fontem malorum imperii Romani fontem constituit, vnde manauerit tanta felicitas imperii, de qua TERTVLLIANVS loquitur. Ac de PAMELIO meliora sentiam? a cuius caussa veritas plerumque remotissima est; qui ALBINVM, quem omnes norunt propter dignitatem Augusti sibi negatam aduersus SEVERVM inimicitias suscepisse *), etiam Augustum dicere potuit? et CARACALLVM eius in imperio socium, cui demum, interfecto iamdudum ALBINO, honores Augusti concessi sunt? Quem si iocantem haec affirmasse cum SCALLIGERO dicam, parum dicam, tot tenebras verirati offudit Igitur hoc vnum restat, vt triplicem istam virtutem SEVERVM cum filiis, iam Augustis, putemus; in quibus deus dici potest in vnum fauisse, ut verbo Septimiano vtamur, cum vnus, si recte velimus loqui, SEVERVS regnaue-

*) V. DION. CASSIVM. l. LXXV. c. 4. p. 1258.

nauerit, ceteri duo nomine magis quam re Augusti fuerint. Vnde, si teneamus, quonam anno GETA ad Augusti dignitatem euectus sit, haec non magis ad cognitionem intelligentiamque aetatis conuertent. Enimuero DODVELLVS scite, vt alia multa monuit *), multisque comprobauit exemplis, Romanorum Imperatores curasse, vt Trib. Pot. filiorum suorum a quinqueniis aut decenniis Imperii numeraretur. Sed A. CCVIII. quis nescit quindecennalia SEVERI et CARACALLI decennalia exstitisse? Quocirca vix quisquam dubitare potest, quin eodem anno in GETAM Augusti dignitas collata fuerit, et quid impedit, quo minus pro more Imperatorum Rom. idem eodem die etiam GETAE contigisse, quo olim SEVERO et CARACALLO, dicamus? Ac ista res si forte dubia videri posset propterea quod vel id citius potuisset accidere, vel quod vnam hanc regulam Imperatores non fuissent vbiuis secuti; quamuis id quidem verisimile in SEVERO non sit, qui artis Chaldaeorum studiosissimus fastos dies diligenter tenebat; numi tamen hoc ponunt extra omnem dubitationem. Nam si ad numerum Trib. Pot. GETAE attendimus, quibus anni huius dignitatis possunt accuratissime effici, iste quidem ultra quartum in GETAE numis non progreditur. Sed GETA summum cum CARACALLO principatum ad mensem fere Februarii

*) Praelect. Camdem. XVIIII. §. 21. p. 621. sq.

bruarii A. CCXCII. tenuit *); igitur numerus quartus Trib. Pot. GETAE medio A. CCXI. merito debet adsignari; a quo si regrediamur, numerando, efficitur sane, GETAM post confectam dimidiam partem A. CCVIII. suscepisse dignitatem Augusti; vnde appareret et hoc, librum TERTVLLIANI *de pallio* medio eius anni esse recentiorem.

§. XXXI.

Sed cum accuratior anni eius, quo scriptus hic liber est, ratio postuletur; qui ista subtilius disserunt, abeunt, quantum video, in eam sententiam, vt in annum CCXI. eum coniiciendum arbitrentur. Nihil enim ceteros moramur, qui versus finem imperii SEVERI hoc opus exaratum magis vniuerse pronunciant. Sed, qui magis eam rem ad subtilitatem chronologicam exegerunt, SAM. BASNAGIVS **) et, qui illum sequitur, Ven. Gottingensium WALCHIVS ***), hi, inquam, eo, quo diximus, anno scriptum hunc librum esse decernunt; sunt enim quaedam eius libri similitudines cum rebus, qua-

*) Hoc vt multis confirmemus, non ita necesse est; satis enim ea opera functus est TILLEMONTIVS dans l'histoire des Empereurs Tom. III. P. I. Ed. Bruxell. p. 185. et in notis p. 391.

**) in Annalibus Politico-Ecclesiasticis. Tom. II. p. 217.

***) in Antiquitatibus pallii philosophici veterum Christianorum p. 227. sq.

quarum hic TERTVLLIANVS mentionem iniecit. Verum, ista re diligenter examinata, mihi animus magis inclinauit in eam sententiam, quod iste libellus sit fere ad finem A. CCVIII compositus. Quam ob rem, pace Venerandi Viri, quem spero facile veniam daturum esse homini ingenuo, verumque sine vlla contentione inuenere volenti, ea explicabo breuissime, quae me mouent, vt de veritate eius sententiae subdubitem, quaeque ad eam, quam obiri vellem, commendandam facere aliquo modo videntur. Videlicet ista secus sentientium opinio vniuersa efficitur similitudine eorum, quae TERTVLLIANVS habet, cum iis, quae scimus isto anno CCXI. contigisse. Sed istud quidem argumentum, tametsi non videatur repudiandum per se, non tamen multum, opinor, firmitatis habet, si eadem similitudo ea, quae a TERTVLLIANO dicta sunt, intercedit cum iis, quae exstiterunt A. CCVIII. et amittit vim probandi omnem, si possit ostendi, A. CCXI. plane diuersa accidisse ab iis, quae in libro nostro memoriae prodidit. Quod vtrumque hic ita se prorsus habet. Nam, vt de hoc dicam primo loco, cum nostrum libellum litteris mandaret TERTVLLIANVS, Africa iam vacabat a terrae motibus (c. 2. p. 133. A.); *pacis erant et annonae otia, ab imperio et a coelo bene erat* (c. 1.). Sed eo tempore, quo ad SCAPVLAM perscripsit ea, quibus animum eius reuocaret a crudelita-

te aduersus Christianos, quod fere factum est A. CCXI., vt postea docebimus, iam ante annum imbribus, igne, tonitrubus, defectu solis aliisque perterriti erant Africani. Quae omnia cum TERTVLLIANVS defendat poenarum instar fuisse deorum cultoribus propterea, quod tot miseriarum in Christianos incendia excitauerant; necesse est sane, istam horum vexationem iam vsque ab integro anno ductam fuisse. Age igitur fac A. CCXI. scriptum esse *de pallio* libellum, nonne TERTVLLIANVS pugnantia loquitur, qui eidem tempori et summam prosperitatem et calamitates grauissimas tribuit? Atque hic ego non inficior, dici forsitan posse, quod his calamitatibus aliquantisper remissis quieta quasi ac tranquilla interiecta interualla fuerint. Sed cum veteris historiae monumenta nihil prorsus prodiderint, ex quo ista res possit quodam modo intelligi, numquid ista fingere, liceret, vt opitularemur opinioni, quae paene videtur ad exitum adducta? Fuerint interim istae calamitates ad tempus dispersae, tamenne summas aduersus Christianos iniurias etiam intermissas dicamus? Etiam dices; prospera enim tempora qui potuissent exstitisse, nisi et hae aliquantum desiissent At ego qui TERTVLLIANVM didici hostes in omnes quasi latebras persecutum, vsumque vel leuissima re ad conuincendos erroris ac flagitii eos, qui erant rebus Christianorum aduersi; hunc ego

ego TERTVLLIANVM putaremne adversus eos disputaturum modo eo, vt, quemadmodum iniurias aduersariorum in Christianos secutae fuissent summae calamitates, ita vicissim felicissima tempora excepisse eorum in hos beneuolentiam diceret. Atque aliud adhuc in promtu est. Nam cum TERTVLLIANVS istum *de pallio* libellum componeret, *pacis otia erant, et re vera orbis cultissimum rus imperii, concultus et amoenus super Alcinoi pometum et Midae rosetum* (c. 2.). Id vero quonam modo? *Eradicato omni aconito hostilitatis.* Sit itaque hic liber scriptus initio A. CCXI.; nam sub Februarii initium inter viuos esse SEVERVS desiit, et desiit etiam triplex imperii virtus. At isto tempore bellum aduersus Britannos nondum erat absolutum, nec vmquam postea fuit, viuo SEVERO, sed eo mortuo demum ANTONINVS pacem cum Britannis iniit *). Isto igitur anno cum certe nec fuerint *pacis otia*, nec *orbis cultissimum rus imperii;* commodior locus videtur huic libro adsignari debere, et annus quidem CCVIII. in finem inclinatus, praesertim quoniam cum eo optime concordant ea omnia, quae TERTVLLIANVS hic tradidit. Namque si requiris *triplicem praesentis imperii virtutem*, sane iam modo GETA Augusti dignitatem sumserat; si *Carthaginienses nouitate felices*, eos iamdudum numi prodi-

*) V. HERODIANVM lib. III. c. 15. p. 173.

prodiderunt *); si *cactum et rubum subdolae familiaritatis*, PLAVTIANVS, familiarissimus SEVERO, iam erat A. CCIIII. e medio sublatus**), si *spem Campaniae deustae de montibus suis* (c. 2. D.), illud DIO CASSIVS ***) tempore eo, quo PLAVTIANVS periit, plane quidem commemorauit; si denique *eradicatum omne aconitum hostilitatis ac pacis otia*, erant ista sane prius quam SEVERVS in Britanniam proficiscebatur. Sed *exclusi* vbinam tandem sunt *barbari?* Ii quidem nondum eo tempore muro Britannico, sed tamen ab imperii Romani finibus ipsis legionum Romanarum praesidiis arcebantur; et ipse TERTVLLIANVS cum loquatur de multis barbaris, quidnam est causae, cur solos Britannos intelligamus? Itaque cum A. CCVIII. exsti-

*) V. SPANHEMIVM in immortali opere de praestantia et vsu numismatum, diss. XII. Vol. II. p. 443. qui istos numos SEVERI et ANTONINI, in quibus est FELIX KARHAGO, ad ius numos cudendi vrbi huic restauratae datum pertinere dicit. Quam ipsam rem aut cognatam certe si respiciant ii numi creberrimi, qui laudant *Indulgentiam Augg. in Carthag.* (ita enim mihi videtur) hoc fere exstitit A. CCIIII. aut V., quia in quibusdam cum ea re TR. I. VI. CARACALLI coniungitur. Certe editi sunt ante scriptum libellum *de pallio;* nusquam enim in iis GETAE, sed SEVERI tantum et CARACALLI nomen reperitur.

**) V. TILLEMONTII Hist. des Empereurs I. c. p. 413. sq.

***) lib. LXXVI. c. 2. p. 1272.

exstiterint omnia ea, quae commemorata TERTVLLIANO fuere; cum nullus alius possit excitari, cui aliquo maiori iure eadem possent asseri; cum ipsa denique recens dignitatis GETAE memoria videatur occasionem TERTVLLIANO praebuisse, vt eius mentionem faceret: parum videtur a certitudine abesse id quod diximus, librum *de pallio* ad A. CCVIII. pertinere.

§. XXXII.

Vltimus liber huius generis et fere credo omnium TERTVLLIANI est is, quem scripsit ad SCAPVLAM, Africae Praesidem; cuius aduersus Christianos crudelitas sine dubio post SEVERI Imperatoris edictum exstitit. Fuit enim HILARIANVS, cuius in nostro libello mentionem TERTVLLIANVS iniicit, Africae Praeses eo tempore, quo FELICITAS ac PERPETVA cum sociis suis morti traditae sunt, quam post leges a SEVERO latas accidisse omnes confitentur. Atque ex iis ipsis, quibus SCAPVLAM arguit summae iniustitiae, existimans (cap. 4.) *potuisse eum officio iurisdictionis suae fungi, et humanitatis tamen meminisse, cum nihil amplius mandetur, quam nocentes confessos damnare, negantes autem ad tormenta reuocare*, ex iis verbis, inquam, haud obscure colligitur, tum exstitisse leges quasdam SEVERI Christianis inimicas. Istae enim ante quam editae erant, Praesidesque agebant earem duntaxat auctoritate, qui-

quibus olim Imperatores exagitauerant Christianos, aduersus vim earum TERTVLLIANVS vehementer in Apologetico disputat. Leue hoc quidem videbitur, neque proprio quodam argumento egeret, nisi PAMELIVS *) A. CXCV. hunc librum adsignandum putasset; qui quam leuiter disputauerit, ipsa verba docent, quibus se ait inductum vt ita sentiret, si quidem TERTVLLIANVS et Albinianos numerauit in hostibus Imperatoris (cap. 2. p 85. D.). Iam si verum est id, has calamitates, quibus SCAPVLA Christianos infectatus est, posteriores esse SEVERI lege; non minus ea intelliguntur regnante quidem SEVERO non contigisse, quod tamen video placuisse quibusdam. Nam in eo loco **), vbi TERTVLLIANVS SEVERVM dicit *patrem* ANTONINI, *Christianorum memorem fuisse*, *ipsumque* ANTONINVM, *lacte Christiano educatum nouisse* PROCVLVM, dicat mihi quis, cur SEVERVM patrem ANTONINI appellauerit, quod ad rem sane non pertinebat aut cur ipsum ANTONINVM ad testimonium citauerit, nisi haec hoc regnante scripta sint. Neque vero ea de re dubitandum est propterea, quod nullos Christianorum cruciatus sub CARACALLO reperimus ab aliis scriptoribus traditos, aut quod etiam ii CARACALLI tempore possunt esse posteriores. Etenim, quod isti nemini alii commemorati sint,

*) in vita TERTVLL. p. 13. C.
**) *de pallio* c. 4. p. 87. C.

sint, eius est haud dubie ratio aliqua in eo, quod illi nec diu, nec nisi in Africa exstiterint. Namque TERTVLLIANVS nunc quidem a praeside legionis et Mauritaniae dicit familiam Christianorum impugnari; SCAPVLAMQVE petit, vt saltim Carthagini pareat et prouinciae, ARRIIQVE ANTONINI exemplum imitetur, qui in Asia olim Christianos auocasset potius a cruciatibus, quam ad supplicia pertraxisset. Eos autem nec fuisse CARACALLI tempore posteriores eo efficitur, quod HIERONYMVS *) TERTVLLIANVM vltra ANTONINI tempora non vixisse dicat, nullae praeterea vsque ad DECIVM aduersus omnis generis Christianos inimicitiae reperiantur **), et quod cum CARACALLI temporibus haec, quae tradita sunt in nostro libello, optime consentiant. Tametsi enim non sit certissime exploratum, quo anno haec Christianorum defensio elaborata sit; tamen ratione quadam probabili, vt est in tali re, primo imperii Antoniniani anno vindicari ea posse videtur. Namque illum solis defectum, quem TERTVLLIANVS ait anno superiori exstitisse (c. 3. p. 86. D.) ANTONINVS LALOVERA asseruit A. CCX. ***); cui quam-

*) de viris illustribus c. 73. Ed. FABRIC. p. 126.

**) Hoc satis aduersus SCALIGERVM aliosque defendit SAM. BASNAGIVS l. c. p. 218. n. XI.

***) in epist. ad IO. BESSONVM quam edidit PETR. POSSINVS in notis ad Acta PERPETVAE et FELICITATIS, in RVINARTI actis primorum martyrum sinceris, Ed. Amstelodam. p. 119.

quamuis TILLEMONTIVS reſiſtat eo, quod TERTVLLIANVS *ſolem* dixerit *non potuiſſe hoc ex ordinario deliquio pati, cum fuerit in ſuo hypſomate poſitus*; tamen hinc Septimii argumentandi modum, qui omnia nouit ſaepius inepta ſatis in rem ſuam convertere, iamdudum deriſit harum rerum peritiſſimus SCALIGER *). Deinde cum nullam vmquam legem CARACALLVS tulerit aduerſus Chriſtianos, oportet profecto has calamitates iis a SCAPVLA inflictas reliquias Seuerianae crudelitatis fuiſſe, quae tum penitus exſtinctae videntur, cum CARACALLVS, imperium ſibi confirmaturus, in exilium miſſos reuocaſſet **). Quod cum fecerit paullo poſt quam GETAM fratrem ſub initium A. CCXII. ſuſtulerat, non inepte id quidem dicimus: SCAPVLAM A. CCXI. aduerſus Chriſtianos egiſſe.

*) in animaduerſ. ad EVSEBII chronicon p. 10.
**) V. DIONEM CASSIVM lib. LXXVII. c. 3.

SECTIO

SECTIO III.

DE

LIBRIS TERTVLLIANI,

QVORVM

VEL AETAS VEL DOCTRINA VEL VTRAQVE LATET.

§. XXXIII.

Tertia haec disputatio finem faciet exercitationum, quas instituimus, Septimianarum, in quibus cum hactenus pertractati sint isti libri, quorum et aetas et doctrina poterat certa quadam via et ratione demonstrari; nunc oportet subiici ceteros, qui aetatem suam non satis definite produnt, sed doctrina tamen non est admodum obscura, nisi in quibusdam paucis, qui ancipitem habere formam videntur. Itaque *primum* illos excitabimus aetate maiores, qui TERTVLLIANVM ostendunt nondum plane Montanistarum partibus addictum; *deinde* eos, quibus notae Montanismi non sunt leuiter impressae; *postremo* hos, qui lectorem dimittunt dubitantem, fueritne TERTVLLIANVS tum, cum illos perscriberet, a communi ecclesia seiunctus, nec ne? Cui triplici librorum Septimianorum generi cum dicamus aetatem asseri non satis certe posse, non volumus id quidem, prorsus ignorari aetatem cuiuis tribuendam (erit enim etiam quod proba-

probabiliter de hac disputari possit), sed accurate ipsum annum scriptorum librorum definiri posse, id quidem audemus negare propterea, quod nullae in iis sunt significationes certae, quae vindicari certo quodam ac definito anno possint. Sed ad propositum veniamus.

§. XXXIV.

Primi generis haud dubie dici potest liber *de oratione*, qui, nisi vehementer fallor, primus est omnium TERTVLLIANI qui aetatem tulerunt, magnoque omnium consensu, si ab HOFFMANNO discesseris *), cuius intererat omnia TERTVLLIANI scripta ad eum Montanistam referre in libris castioris doctrinae numeratur. Atque si forte suspecta est fides HILARII Pictauiensis, qui scriptum hunc libellum ante TERTVLL. defectionem non obscure significat; tamen in libro ipso tot sunt notae sententiarum diuersarum ab iis, quas postea in scriptis erroribus Montanistarum infectis defendit, vt libri istius doctrina nemini sit ad reperiendum difficilis, qui comparare vtrorumque sententias velit. Nam primum quantae hic **) sunt laudes operis HERMAE, quod *Pastor* inscribitur, cum consuetudinem considendi finita oratione obser-

*) dissertat. citat. §. XI. p. 37. sq.

**) c. 16. Edit. LVD. ANT. MVRATORII, qua vtimur, qui nostrum libellum antea mutilum e bibliothecae Ambrosianae codice integrum edidit in *Anecdotis latinis* Tom. III. p. 9. sq.

obſeruatam ab HERMA non ſecum pugnare oſtendit, quod *fere ſcripturam*, ac, (ne illud *fere* cuidam inuidiam noſtrae ſententiae moveat) poſtea *ſcripturam* prorſus appellat? Quod tametſi non ſic ceperim cum MVRATORIO *) aliisque quaſi TERTVLLIANVS HERMAE libros referat in libris N. T. canonicis (loquitur enim ex more magis aduerſariorum quam ſuo); tamen non contemnit Hermae auctoritatem, ſed ſibi conciliat, longe ſecus atque in libro *de pudicitia (c. 10. et 20.)*, in quo non modo HERMAE effata repudiat, ſed ſpurium illud omnibus conſentientibus ſcriptum appellat et illum *moechorum Paſtorem*. Quod miror argumentum miratum in ALLIXIO fuiſſe HOFFMANNVM exiſtimantem, non exagitaſſe TERTVLLIANVM in noſtro libello HERMAE *Paſtorem* propterea, quod ſibi HERMAE auctoritas non tantum obſtitiſſet quam tum, cum exararet librum *de pudicitia*, quare nec fuiſſet neceſſe, vt eius pretium eleuaret. Nam etiamſi non negemus magis aduerſariam fuiſſe HERMAE auctoritatem TERTVLLIANO in rebus iis, quarum mentio eſt iniecta in libello *de pudicitia*, eius tamen de HERMA iudicium in noſtro *de oratione* libro non ſolum multo eſt mitius, ſed ita comparatum etiam, vt ipſe HERMAE auctoritatem non vniuerſe contemſiſſe videatur. Ac illud *fere ſcriptura*, quod vim huius argumenti minue-

*) l. c. not. 3. p. 31.

minuere HOFFMANNVS arbitratur, satis est ab eo inepte explicatum sic, vt temere, dicere voluerit TERTVLL., nomen *Pastoris* HERMAE libello imponi, cum illud nomen nullo modo mereatur; nam illud: *fere scriptura* certe est ita intelligendum, Hermiani libelli auctoritatem fere eamdem quam sacrorum librorum putari; quod ipsum ex eo patet, quod eum postea prorsus *scripturam* dicat, neque sic eum, vt opinor, appellasset, si tam ipsi contemtus HERMAS fuisset, quam erat tempore conscripti *de pudicitia* libri. Sed sunt hic etiam alia TERTVLL. dicta multum discrepantia ab iis, quae in libris Montanisticis proposuit, quae ostendunt clarissime, tum longe aliam fuisse TERTVLL. disciplinam quam postea. Videlicet sectione 18. (p. 35. Murat.) cum disputat aduersus eos, qui dum se cibo abstinebant, nec alios solebant osculo excipere, *non*, ait, *nisi die Paschae, quo communis et quasi publica jejunii religio est*, iure osculum ceteris negari debere; quod ostendit profecto TERTVLL. tum ex illa societate sacra fuisse, quae nullum diem publica et communi abstinentia a cibo celebrabat praeter eum, quo Christus mortuus erat; nam *Dies Paschae* est is, qui erat memoriae IESV interemti consecratus *). Enimuero Christiani veteres TERTVLLIANI tempore non nisi hunc diem communiter inedia celebrabant propterea,

*) Vid. e. c. *aduersos Iudaeos* liber c. 10.

terea, quod tum aiebant ſponſum fuiſſe ablatum; et tamen TERTVLLIANVS in libro *de jejuniis* (c. 2.), qui eſt haud dubie e numero Montaniſticorum ſuorum, multum vituperat hanc conſuetudinem, vnum hunc diem communi jejuniorum religione celebrandi; eſtque ſatis clarum, Montaniſtas plures alios dies jejunando praeter diem Chriſti emortualem celebraſſe. Vnde elicitur illud: TERTVLLIANVM cum hunc *de oratione* librum componeret, nondum in partes Montaniſtarum ſeceſsiſſe. Quod nouo poteſt argumento ducto ex vtroque libello confirmari, quorum ſi quis loca alio poteſt modo in concordiam redigere quam eo, quo diximus, ducto a diuerſa TERTVLL. diſciplina tempore vtriusque conſcripti libelli; eum audiemus. Nam cum in eo *de oratione* (c. 25.) deſcendiſſet ad diſputationem de tempore precum Deo offerendarum, bonum id quidem eſſe, inquit, quasdam certas et fixas quaſi horas precibus deſtinari, tertiam ſcilicet et ſextam et nonam ab Apoſtolis quoque obſeruatam; ſed id quidem fieri, adiicit, *ſine vllius obſervationis praecepto*, neque lege praeceptas eſſe alias praeter *legitimas orationes* h. e. eas, quae ſub ortu lucis noctisque pronunciantur. Et c. 23. extr. *De temporibus*, inquit, *orationis* NIHIL OMNINO *praeſcriptum eſt, niſi plane omni in tempore et loco orare.* Sed ille in libello *de jejuniis* peracerbe exagitat orthodoxae Eccleſiae

cleſiae addictos (c. 2.) propter eam cauſſam, quod abſtinendum eſſe dicebant a cibo *ex arbitrio*, *non ex imperio nouae diſciplinae*, *pro temporibus et cauſsis vniuscuiusque*, et *orationes etiam fere hora nona concluderent de Petri exemplo*; additque diſerte (c. 10.) *ſalua plane indifferentia ſemper et vbique et omni tempore orandi*, *tamen tres iſtas horas ſolemniores fuiſſe in orationibus diuinis*; et cap. 13. ad ipſam prouocat legem a *Paracleto* datam, qua hanc Montaniſtarum conſuetudinem confirmaſſet. Quibus omnibus euincitur haud dubie, aliam prorſus TERTVLLIANI ſententiam fuiſſe, cum *de oratione* librum componeret. Denique, vt alia omittam multa, id mihi videtur magno argumento eſſe ad aſſerendam libro noſtro ὀρθοδοξίαν, quod nullam in hoc libro, cum de jejuniis ac ſtationibus crebrius diſſerat, iniiciat mentionem Xerophagiarum, quas tanto cum feruore in libro *de jejuniis* cap. 2. 5. ſqq. defendit; cuius omiſſionis dubito an vlla alia ratio reddi poſsit, quam ea, quod tempore ſcripti libelli noſtri iſti Eccleſiae addictus fuerit, quae Xerophagias (vt ait in libro *de jejuniis* c. 2. p. m. 702. A.) *nouum* dicebat *affectati officii nomen eſſe et proximum Ethnicae ſuperſtitionis*. Haec omnia mihi multo videntur magis audienda quam quae HOFFMANNVS ad vindicandum opinionem ſuam profert, quibus alia non nullius auctoritatis nos etiam ipſi poſsemus, ſi neceſſe eſſet, adde-

addere. Simillima ſcilicet eſſe, ait, ea, quae hic (c. 22.) de virginibus velandis praecipiat, eorum, quae ab eo in libro huius argumenti defenduntur: quod longe ſecus eſt. Nam tametſi in vtroque libro velit, vt virgines obtegantur velo, non ipſe tamen iſte conſenſus librorum, ex eadem diſciplina prodiiſſe vtrumque, demonſtrat; ſed, ſi quis vtriusque loca accurate contulerit, magnus erit a ſe TERTVLLIANI diſſenſus, qui noſtram multo magis quam HOFFMANNI ſententiam confirmat. In libro *de virg. velandis* vehementer et ex ipſa in primis lege Paracleti Montaniſtarum hanc conſuetudinem defendit, ſed in noſtro *de orat.* libello (c. 22. p. 43.) non tenendam iubet hanc conſuetudinem, *legemque* adeo *virginibus quoque injicientem velamentum*, ait, *excuſari poſſe;* atque in principiis illius diſputationis (c. 21.) *quaſi incertum retractandum eſſe illud, quod* PROMISCVE *obſeruetur per eccleſias velarine debeant virgines an non?* Leue igitur eſt iſtud viri docti argumentum, potuisſetque ille rectius ad teſtimonium ſententiae ſuae citare cap. 6., vbi cum rogationem quartam orationis dominicae non proprie ſed tropice de ſacra coena eſſe intelligendam dixerat, *ſed et quia* adiicit *carnaliter admittitur iſta vox, non ſine religione poteſt fieri et ſpiritalis diſciplinae*, vbi *ſpiritalis disciplina* aliquam dat Montaniſtici ſcriptoris ſuſpicionem, qui ſpiritales ſe, ceteros Pſychicos appel-

appellabant. Sed potuit TERTVLLIANVS sub spiritalibus etiam quosuis probos homines et Christianos intelligere, quod mihi magis placet propterea, quod hos non ita multo post interpretatur per *fideles*, eosque non orthodoxis v. Psychicis opponit, sed *nationibus* h. e. non credentibus in Iesum; neque vsquam reperi TERTVLLIANVM vel in ipsis Montanisticis libris orthodoxis nomen fidelium negasse. Iam cum hunc librum ex iis esse satis constet, qui castigatiorem doctrinam continent: quemcunque illi locum in huiusmodi Septimianis scriptis dederis, idem est. Nobis, quibus ex eo nulla se vel leuis suspicio errorum Montanistarum obtulit, optimum videtur eum in primis huius generis collocare.

§. XXXV.

At dicere, quaenam doctrina asserenda sit libro *de baptismo*, maiori est cum difficultate coniunctum. Equidem non ignoro, omnes sic sentire, quasi sit huius libri ὀρθοδοξία extra omnem dubitationem posita, leuiter, vt in ceteris, repugnante HOFFMANNO; sed in ea re miranda venit multorum doctorum hominum leuitas, qui libros alios, quorum argumentum certam habet puritatis significationem, TERTVLLIANO Montanistae tribuerint, et hoc tuto exemerint e numero horum librorum, cuius tamen loci, si vel praecipuas Montanistarum in

eo

eo vel Orthodoxorum ſententias requiſiueris, tam ſunt obſcuri, vt, inquiſitis omnibus, vix quo ſe vertat animus videat. Sed vt, quantum fieri posſit, dicamus tamen, quaenam in libro noſtro doctrina vel ad has vel ad illas magis inclinata regnet; primum placet examinare locos, qui huic libro ſuſpicionem Montanismi conficiunt, deinde eos, qui ſunt in contrariam partem, rarius licet, propoſiti. Atque, vt mittamus ea, quae ſubdubitans obiecit BARONIVS, ſatis ille ab ALLIXIO confutatus (in vit. TERT. p. 29. ſqq.), HOFFMANNVS in illam ſuperiorem partem haec excitat argumenta. Primum quod in libro *de baptismo* TERTVLLIANVS dictis vtatur ſimilibus eorum, quae in eo *de pudicitia* defenderat, ita vt exagitet eos, qui ſibi ſumebant poteſtatem dandi veniam delictorum, quae vni tamen deo competeret. Cuius rei, ni fallor, ſignificationem in illis verbis reperit: *neque peccatum dimittit, neque ſpiritum indulget niſi Deus ſolus*; quae quo modo non niſi a ſcriptore diſciplinae MONTANI dedito pronuntiari potuerint, non perſpicio. Nam neque illud ſodales orthodoxae Eccleſiae negabant, neque de ea re erat eos inter et Montaniſtas diſputatio; ſed illi orthodoxi, quamuis non niſi Deo poteſtatem remittendorum peccatorum adſignarent, negandam tamen pacem iis, qui propter peccata fuerant e ſocietate ſacra eiecti, non putabant, ſi quidem

dem illi se vitam emendaturos pollicerentur. Postea hunc librum vir doctus ait ad calamitatum Christianis a deorum cultoribus immissarum plena tempora pertinere; quae est leuis profecto coniectura. Nam c. 16. libri nostri, quem locum ille antestatur: *est nobis etiam secundum lauacrum, sanguinis scilicet*, nullo modo tum praesens periculum ostendit. Quod si commemoratum etiam a TERTVLLIANO fuisset, non propterea hic liber ad scripta MONTANI erroribus referta abiici posset, sunt enim multa TERTVLLIANI scripta (vt diss. I. docebamus), aequalia his calamitatibus, ante TERTVLLIANI defectionem composita. Sed neque ipse ille dicendi modus, quo TERTVLLIANVS cruciatus aliquem veluti baptismum appellat, statim Montanistam prodit, nisi velimus dicere, ORIGENEM quoque et alios, quorum loca habet DODWELLVS *), qui numquam accusati Montanismi fuere, propter eam rem societati Montanistarum addictos haberi debere **). Denique quod non obscure TERTLV-

*) disert. Cyprian. XIII. quae est de secundo martyrii baptismo, in primis § 2.

**) At dicere quis posset: illos, qui post TERTVLLIANVM vixerint, Christianos scriptores, cum summa existimatio eorum orta esset, qui vel morte vel cruciatibus susceptis Christum confessi publice erant, vt alia plura, hanc quoque dicendi consuetudinem a Montanistis sumsisse; neque ergo horum loca esse idonea ad liberandum hunc sermonem

TVLLIANVM eodem in loco significare HOFFMANNVS dicit, iniuria Montanistas fuisse e societate communis Ecclesiae proscriptos, cum iis ceterisque Christianis vnus Deus, vnum baptisma, vna denique in caelis ecclesia, cum ceteris autem haereticis nulla societas sit (c. 12.); illud certe argumentum

nem a Montanismi suspicione, praesertim cum is primus in TERTVLLIANO aliorumque Montanistarum scriptis, veluti in *Actis* PERPETVAE et FELICIT. (§. 22.) appareat. Quam forte suspicionem pellam alia suspicione, si ostendero, ipsum iam MARCIONEM eandem dicendi consuetudinem habuisse. Nempe EPIPHANIVS haeres. XLII §. 3. Edit. Colon. p. 304. tres ait baptismos defensos a MARCIONE fuisse (ἓ μόνον παρ' αὐτῷ ἓν λατρὸν δίδοται ἀλλὰ καὶ ἕως τριῶν λατρῶν). In quo narrando etsi damus, vera esse falsis ab EPIPHANIO permista, tamquam cum dicat: MARCIONEM triplicem baptismum excogitasse vt se a flagitio cum virgine commisso purgaret, (quod est, vt multi ostenderunt, mera calumnia); etiam cum dicat: *dedisse* MARCIONEM triplicem baptismum, quod cum argumento ad hunc baptismum triplicem confirmandum, vt postea patebit, nullo modo consentit; neque tamen hoc EPIPHANII testimonium vniuerse contemnendum arbitror. Erit igitur operae pretium, vt quisnam is fuerit triplex MARCIONIS baptismus, breuiter ostendam. I) Multa sunt in disciplina MARCIONIS similia disciplinae Manichaeae, quem MANETEM constat suos in *Auditores* et *Electos* distinxisse; quare haud scio, an Marcionitis non possit

tum opinioni eius nihil firmamenti adfert. Nam TERTVLLIANVS de consensu Montanistarum cum Orthodoxis in ista doctrina ne verbum quidem habet, sed illam Christianorum fidem opponit CAIANORVM haeresi, hosque spurios esse Christianos ex eo docet, quod ademta ipsis cum ceteris Christianis com-

sit eadem distributio adsignari, cum TERTVLL. *aduers.* MARC. lib. V. c. 7. p. m. 588, C. videatur indicare, non nisi sanctioribus ex suis MARCIONEM nuptiarum licentiam negasse, his verbis: MARCION *totum concubitum aufert* FIDELIBVS, *viderint enim* CATECHVMINI EIVS; in quibus potuit catechumenos appellare minus perfectos modo eo, quo EPIPHANIVS aliique hoc nomen etiam adhibent de auditoribus Manichaeorum; neque credibile est, MARCIONEM in vniuersum omnes nuptias sustulisse apud suos, cum, quemadmodum constat, nuptiarum auctorem non deum malum sed medium illum putarit, quem *iustum* nuncupabat. Ex quo II.) non inepte potest cum BELLOSOBREO coniici (*Histoire du Manichéisme* T. II. p. 122.) vnum MARCIONIS baptismum in omnes collatum, altero initiatos fuisse interioris admissionis Marcionitas; in primis quia EPIPHANIVS diserte adiicit: Ἐξεστι διδόναι (scilic. λατρὸν) ταῖς αὐτοῖς τῶ βελομένῳ, quod pugnaret cum omnibus super ea re locis TERTVLLIANI, qui nuptiis se abdicare debuisse cunctos ait, qui tingi sacro lauacro a Marcionitis voluissent (lib. IV. adu. Marc. c. 11. lib. I. c. 29. etc.), nisi duplicem hunc baptismum admitteremus. At nunc III.) restat dicere, qualem baptismum tertium

MAR-

cummunio fuerit. Ac si, quae ille putat, vera essent, tam se non defenderet TERTVLL. ab iniuria Montanistis illata, vt potius se Montanistasque haereticos esse, fuisset confessus. Nam in illo ipso capite 15. (p. 262. D.) *haereticos* ai: *extraneos* (h. e. non Christianos) *testari ipsam ademtionem communicationis*. Igitur si TERTVLLIANVS significasset in hoc loco, Orthodoxos ex ecclesia proiecisse Montanistas, se certe suosque haereticos dixisset; quod prorsus abhorret. Atque hic alii occurramus necesse est difficultati propositae ab ALLIXIO aduersus receptam de doctrina in hoc libro regnante sententiam *), qui suspicari nos posse dicit, TERTVLLIANI mentem iam tum ad MONTANI disciplinam inclinatam fuisse, quod et Christiani *pisciculi* et Christus *piscis* (ΙΧΘΥΣ) dictus ab eo fuerit, quae nomina essent hausta e libris Sibyl-

MARCION crediderit, in qua re nostra proprie causa versatur; quem quomodo oporteat intelligi, clarissime docet argumentum, quo MARCIONEM *Epiphanius* ait triplicem baptismum confirmasse, ductum e loco illo apud LVCAM c. XII. 50. vbi haud dubie de supplicio suo deque aliquo sibi adhuc imminente baptismo CHRISTVS loquitur: quod allatum quoque a ceteris ad defendendum alterum martyrii baptismum videmus. Qua re motus sine vlla dubitatione sic statuo, eum suppliciis Christianorum ad exemplum IESV CHRISTI suscipiendis etiam nomen baptismi cuiusdam indidisse.

*) diss. de TERTVLLIANI vita et scriptis c. 4. p. 33.

Sibyllinis, ab aliquo Montaniſta vel ipſo etiam MONTANO exaratis; et c. 20. aliquam charismatum mentionem iniecerit, quod Montanismum redolere videretur, in primis cum conferuntur ea cum iis, quae ſunt c. 29 libri *de ſpectaculis* tradita. Sed bene ille fecit, quod hanc ipſam ſuſpicionem non nimis ſubtilem et acutam putauerit. Nam etſi dederimus, eſſe etiam eos libros, qui nunc ſub nomine Sibyllinorum iactantur, vel a MONTANO, vel ab aliquo eius diſcipulo confictos, quos tamen magis vellem Gnoſtico cuidam aſſerere, TERTVLLIANVM etiam inde hoc nomen piſcis Chriſto datum hauſiſſe; tamen ex eo argumento non magis ſuſpectus Montanismi TERTVLLIANVS haberi poſſet, cum hunc compoſuiſſet librum, quam IVSTINVS MARTYR, CLEMENS ALEXANDRINVS, ORIGENES aliique, qui ſaepius libros quosdam Sibyllinos ad teſtimonium citant. Atque ſi iſti libri generatim exſtiterunt ipſo hoc tempore, quis eſt, qui poſſit praeſtare: non fuiſſe eos poſtea adulteratos, vt eam, quam nunc habent, formam receperint? Quod eſt verendum inprimis in acroſtichide libri octaui: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ, vnde ipſum hoc Ἰχθύος cognomen ſumtum vulgus exiſtimat. Neque enim illa prius eſt a quoquam veterum propoſita quam a CONSTANTINO M. (in *oratione ad ſanctorum coetum* c. 18.) cui, vel ex eo, quod Virgilium ceciniſſe de Ieſu Chriſti natiui-

tiuitate dicat, (c. 19. sqq) patet, quam nullo negotio verba dari ab hominibus religionem fingentibus potuerint. Atque vt omnia, quae velit, susceperim, ne ipsa quidem haec, quae sunt in hoc Viri docti argumento collecta, consistere et secum consentire possunt. Antiquissimi scriptorum Christianorum, quod GVILIELMVS BEVEREGIVS *) et GVIL. WHISTONVS **) multis docent, hos, quos appellant, libros Sibyllinos antiquissimos confitentur; ex quo necessaria consecutione efficitur, multum eos diuersos fuisse ab his, qui horum nomen nostro tempore mentiuntur, qui ipsi aduersario videntur saeculo P. C. N. secundo compositi Quid? idem ille, de quo quaerimus, TERTVLLIANVS, cum tempore eo, quo proxime aberat a defectione sua, in libro 2. *ad nationes* (c. 12. p. 75. D. 77. A.) antiquissima dicit Sibyllae effata; potuitne igitur ille libros Sibyllinos a MONTANO vel aliquo gregis istius profectos putare? Neque vero quidquam probat alterum illud, quod de charismate ALLIXIVS subiicit, cuius me fateor non satis dilucidam citato c. 20. memoriam inuenire, ac si inveniatur, tam profecto non sequeretur, librum de baptismo ex officina TERTVLLIANI Montanistae fuisse

*) *in Codice Canonum Ecclesiae primitiuae* lib. I. c. 14. §. 4. sqq.

**) in libro suorum facile optimo: *a vindication of the Sibylline Oracles.* Propos. 10. p. 36. sq.

se egressum, quam illud dici de libro *super spectaculis* non potest, qui est haud dubie, vt alibi ostendebam, ante eius defectionem exaratus. Ac ne quid praetereamus silentio, quo posset quis aliquo modo huic opinioni aduersae libro nostro de *baptismo* veritatem conciliare, fortasse posset excitare c. 20. huius libelli, in quo magnam TERTVLLIANVS ait esse vtilitatem abstinentiae a cibis ad euitandas peccati sollicitationes; quod videri posset consentiens cum laudibus inediae iis, quas decantauit in libro *de jejuniis*. Magis etiam illud est suspectum, cum cap. 8. extr. dicat: *Igni destinatur homo, qui post baptismum delicta restaurat.* At neque hoc vtrumque decretum abhorruit a disciplina recte sentientium sic, vt proprium esset Montanistarum. Nam in *illo* quidem superiori, quod admitti non potuerit, nihil est, etiamsi aliis in locis TERTVLLIANVS nimium huic abstinentiae tribuat; et *hoc* vel ab ipsis quibusdam Orthodoxae Ecclesiae addictis quamuis inepto sensu defensum est, vt postea docebitur, vel dici commode potuit de iis, qui post baptismum ad vitam impiam delati de ea emendanda non cogitant.

§. XXXVI.

Sed age audiamus etiam eos longe plures, qui *de baptismo* librum scriptum ante TERTVLLIANI secessionem vno ore confitentur. In quibus

quibus ineptus est error eorum, tanquam PAMELII, qui, praeeunte quodam modo EPIPHANIO *), QVINTILLAM eam, quae huius libri conscribendi occasionem dedit, ex disciplina Montanistarum putant fuisse, cui feminae cum se etiam contumeliis opposuerit TERTVLLIANVS, sequeretur eum tum, cum hunc librum perscriberet, adhuc a partibus Ecclesiae purioris stetisse. Quod argumentum omnem certe rem conficeret, nisi leuissimus in exponendis haereticorum opinionibus homo EPIPHANIVS etiam hic more suo errori se dedisset. Nam et Caianorum sectae hanc mulierem addictam fuisse ait ipse TERTVLLIANVS (c. 1.), quorum et decreta et mores multum discrepant a Montanistarum disciplina, et nunquam repudiatum baptismum a Montanistis legimus, sed defensum etiam a TERTVLLIANO Montanista multis in locis, vt *de pudicitia* c. 19. Sed sunt alia duo argumenta apud DVPINIVM **), quibus hunc librum in indicem scriptorum emendatioris doctrinae infert, alterum quod nulli sint huic libro errores Montanistarum adsperſi, alterum quod dicat, potestatem conferendi baptismi non nisi Episcoporum esse, nefas etiam esse, si quis illam mulieribus concedat; quae verba TERTVLLIANI illi videntur contraria Montanistarum disciplinae.

*) haer. 42. n. 1. 2.

**) nouvelle bibliothéque des auteurs Ecclésiastiques Tom. I. p. 91.

nae. At illud superius eludere quiuis facile potest eo, quod dicat, non esse hunc librum oppositum Orthodoxae Ecclesiae doctrinis, vnde nec admirationem haberet hoc, quod TERTVLLIANVS hic nullum ab illa Ecclesia dissensum profiteatur, quod nec in aliis fecit, in quibus sibi non pugnandum cum Psychicis esse videbat. veluti in libro *de pallio* aliisque supra pertractatis. Sed in altero DV PINII argumunto falsa veris sunt mixta. Itaque, quae recte ex eo pro integra huius libri doctrina depromi possint, postea disputabimus et vnum hic animaduertemus Viri docti errorem. Videlicet Montanistas suspicatur feminis potestatem publice docendi dedisse, quam cum iis adimat licentiam TERTVLL. in nostro libello, hunc putat e numero non Montanisticorum esse. In quo haud dubie errat, et contra niteremur hoc loco ex ipsis TERTVLLIANI scriptis iam Montanismo infectis, e. c. e. libro *de velandis virginibus* c. 9, nisi eam disputationem occupasset Cl. V. THEOPHILVS WERNSDORFFIVS *). Quam ob rem exponamus opportet illud, quod nos commoueat, vt de libro nostro magis in honestiorem quam peiorem partem pronunciandum esse putemus. Huius iudicii duplex est causa. *Primum* cum quaestionem tractat de iis, quibus ius sit baptismi conferendi (c. 17.) illam

*)in Commentat. de Montanistis saec. 2. vulgo creditis haereticis. Gedani 1751. §. 19.

lam potestatem *summum habere*, ait, *sacerdotem, qui est Episcopus, dehinc Presbyteros et Diaconos, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem. Alioquin etiam*, pergit, *laicis ius est*, — — *sed cum ea maioribus competant, ne sibi adsumant dicatum Episcopis officium Episcopatus.* Vnde haec consequuntur, TERTVLLIANVM librum nostrum scripsisse, tum, cum versaretur in aliquo coetu sacro, qui et Episcopos summos esse putabat rerum sacrarum moderatores, et Laicis non nisi summa in necessitate versantibus ius concèdebat, aliquem sacro lauacro abluendi. Sed in Montanistarum conuenticulis longe alia videtur consuetudo obtinuisse. Nam etsi non negem, iis etiam suos et Presbyteros fuisse et Diaconos; tamen alium in eorum doctoribus collocandis ordinem obseruatum fuisse, testis est HIERONYMVS *), qui *apud nos*, inquit, *Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos Episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepuza Patriarchas, secundos quos appellant Cenonas, atque ita in tertium i. e. paene vltimum locum Episcopi deuoluuntur.* Quam si quis dicere velit consuetudinem Montanistarum ab HIERONYMO fictam esse vel TERTVLLIANI aeuo recentiorem, neque quid mouere HIERONYMVM potuisset, video, vt talia fingeret, quae magno crimini dari Montanistis

*) Epistola ad MARCELLAM, quae est 27. Edit. IO. MARTIANAEI Tom. IV. Part. II. p. 65.

nistis non poterant, neque abhorret aliquo modo, qui ipsi se suis vel doctrinis vel institutis a communi Ecclesia seiunxerant, eos etiam ordinem sacerdotum diuersum a communi consuetudine constituisse, praesertim cum iam ipse MONTANVS Pepuzam Phrygiae oppidum Hierosolymam appellasset *). Atque ecce mihi quantum in nostro libello honorem Episcopis asserat, cum omnem tingendi aqua sacra potestatem ab iis deducat, et ipsius Ecclesiae honorem cum horum dignitate coniunctissimum tradat. Sed in libro *de pudicitia*, tam vehementi illo in consuetudinem Orthodoxae Ecclesiae, quam falso obsecro perstringit (c. 1.) *Pontificem scilicet maximum, Episcopumque Episcoporum, eiusque edictum peremptorium?* quam nihil dat tanto viro, a quo dignitas, vt ait hic, Ecclesiae pendebat? Ac si quis putat, quod ego non diffiteor, TERTVLLIANVM in illo libro magnam animi permotionem ad caussam attulisse, alium dabo e libro *de exhortatione castitatis* haud dubie Montanistico locum, qui longe maiorem, vt mihi videtur, Laicis tribuit baptismi conferendi licentiam, quam eam, qualem nostro in libro defenderat, vt iam video magnum virum, quem honoris causa nuncupo, IVSTVM HENNINGIVM BOEHMERVM acute monuisse **). Vbi cum neque sacerdotibus V. T. neque Christianae

*) V. EVSEBII Hist. Ecclesiasticam lib. V. c. 18.
**) diss. IX. iuris ecclesiast. antiqui. §. 5.

ſtianae Eccleſiae ſacerdotibus repetitas permiſſas eſſe nuptias TERTVLLIANVS dixiſſet, neque illas ait ſuscipi a Laicis debere, quoniam et ipſi ſacerdotes a Chriſto conſtituti fuiſſent, quare illi etiam *offerendi tingendique haberent poteſtatem et ſacerdotes ſibi ſoli eſſent.* Quod tametſi non dicat fieri debere, niſi *vbi non ſit eccleſiaſtici ordinis conſeſſus*; tamen neque mentionem auctoritatis Epiſcoporum vel ceterorum doctorum publicorum iniicit, vt fit in noſtro libro, neque hanc Laicorum poteſtatem ex officiorum iurisque vicisſitudine, vt hic *), deducit, ſed plane ex myſtico omnium Chriſtianorum ſacerdotio; vnde magna, ni fallor, duci ſuspicio poteſt, aliam plane diſciplinam TERTVLLIANI, ſcribendis hos erroribus MONTANI infectos libros, fuiſſe quam eius, cum animum ad noſtrum ſcribendum adiungeret. Atque vt illud magis confirmem, proponam hic aliquam coniecturam meam, non quaſi ipſe me putarem errare in ea non poſſe, ſed vt offeram iis, quorum hac de re poteſt eſſe iudicium, quod videant valeatne quidqam ad cauſſam noſtram viris doctis probandam? Nempe c. 17. libri noſtri confutat TERTVLL. argumentum illud, quod, quibuscum pugnabunt, homines ſolebant ex actis quibusdam PAVLLI ſumere, vt feminis

*) Ita enim *de baptismo* c. 16. *Laicis etiam ius eſt baptismum dandi; quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari poteſt.*

minis potestatem publice docendi vindicarent. Haec ego PAVLLI *acta* si quaenam fuerint, quemque auctorem habuerint, ostendere potuero; tum mihi quidem TERTVLLIANVS vix videtur ea spernere potuisse, si hunc de baptismo librum iam disciplinae Montanistarum deditus scripsisset. Atque haec ego acta ea fuisse suspicor, quae apud veteres sub nomine *actorum* PAVLLI *et* THECLAE exstitisse nouimus, non quidem eo habitu ac forma, qualem habent edita illa a IO. ERNESTO GRABIO *); sunt enim haec haud dubie temporibus prodeuntibus adulterata: sed sunt in illis tamen Grabianis quaedam quasi venae aut fragmenta eorum THECLAE actorum, quae veteribus celebrata fuerunt, veluti (p. 115.) is locus vbi PAVLLVS THECLAE potestatem imponit, doctrinam Christi aliis publice tradendi. Quae ipsa res, opinor, ostendit, TERTVLLIANVM in loco excitato haec *acta* THECLAE habuisse ob oculos posita propterea, quod mentionem iniicit scripti cuiusdam commentitii, quod PAVLLI Apost. nomen mentiebatur, in quo concessa erat feminis haec docendi licentia; id quod magis postea confirmabimus. Sed si quaeratur quis: fuerit is, qui sub PAVLLI Apostoli nomine finxerit haec acta spuria, tum ego nullus dibito LEVCIVM haereticum, quem vulgo Manichaeum non recte

*) in spicilegio SS. Patrum et Haereticorum. Tom. I. sec. I. p. 95. sq.

recte putant, horum actorum, quae TERTVLLIANVS affert, scriptorem exstitisse Cur ita censeam, breuiter exponendum videtur. *Primum* negari non potest, LEVCIVM vt aliorum Apostolorum sic etiam PAVLLI quaedam acta finxisse, quod PHOTIVS testatur *) qui talia saepius tractauerat. *Deinde* LEVCIVM non Manichaeorum sed Docetarum vel Encratitarum disciplinae deditum fuisse, praeclare probauit vir egregie doctus maximeque limatus ISAACVS BELLOSOBRIVS **), quorum capitalis error continebatur in contemnendis nuptiis; et actorum vniuersorum PAVLLI et THECLAE hic finis est, vt vitam sine nuptiis summis laudibus efferant; multa item sunt alia sub Apostolorum nomine a LEVCIO ad illum errorem per ipsam Apostolorum doctrinam et vsum confirmandum conficta. *Porro* multis argumentis BELLOSOBRIVS l. c. docuit, LEVCIVM iam saec. II. exstitisse, et EPIPHANIVS ***) LEVCIVM clarissime appellat IOHANNIS Apostoli discipulum. Itaque et tempore TERTVLLIANI exstiterunt haec acta PAVLLI, quae LEVCIVM auctorem habuisse diximus, et est admodum verisimile, TERTVLLIANVM non alia nisi LEVCII acta indicare voluisse; nam horum actorum scriptorem, ait, fuisse Presbyterum, qui fraudis

*) in Bibliotheca sect. 114. p. m. 156.
**) Beausobre histoire critique de Manichée et du Manicheisme lib. II. c. 2. §. 2. sq.
***) haer. LI. 6. p. 427. D.

dis in ea re conuictus de loco fuerit h. e. de munere sacro deiectus. Cui si quis addiderit HIERONYMVM *), qui diserte ait, TERTVLLIANVM dixisse, hunc Presbyterum apud IOANNEM conuictum et remotum a munere publico fuisse propter fraudem commissam; profecto videbit scriptorem actorum PAVLLI et THECLAE auctoritati IOANNIS Apostoli fuisse subiectum, quod dici de LEVCIO, vt modo ostendi, optime potest. *Denique* mihi peropportuno cecidit, vt huius rei etiam in PHILASTRIO **) aliquam significationem reperirem in loco eo, vbi de SELEVCO haeretico eiusque doctrina disserit. Nempe confitentur omnes, SELEVCVM haereticum et LEVCIVM nostrum eosdem esse Iam ecce mihi quaeso, quid de SELEVCO suisque PHILASTRIVS? *Baptismo*, inquit, *non vtuntur propter verbum hoc, quod dixit Ioh Baptista: ipse vos baptizabit in spiritu et igne.* Nihil similius hoc esse potest illorum errorum, quos TERTVLL. in libro de *baptismo* confutat. Negebant haeretici, aduersus quos ibi disputat: sacro lauacro tingendos Christianos esse, atque is ipse dicta Ioannis de baptismo per spiritum et ignem suae sententiae conciliat; quare quid est probabilius, quam aduersarios TERTVLLIANI a sententia LEVCII stetisse, qui, teste PHILASTRIO, idem prorsus dixerat. Nemo mihi hic occurrat: SELEVCVM V. LEVCIVM,

*) in catal. scriptorum eccles. c. 7. p. 104.
**) de Haeresibus c. 55. Edit. FABRICII p. 112.

CIVM, de quo PHILASTRIVS loquitur, Manichaeum fuisse atque diuersum a LEVCIO, Ioh. Apostoli discipulo, PHILASTRIVM etiam hominem nullius pretii esse; vnde existeret, quod fidei huius male ambulanti credere nos non oporteat. Namque istud discrimen fictum esse ac nullum, satis aduersus FABRICIVM BELLOSOBRIVS (loc. cit. §. 3.) defendit, et PHILASTRIVM non quidem ignoro nugatorem esse in plerisque, etiam in enarrandis ipsis SELEVCI erroribus, qui certe LEVCIO, Ioh. discipulo, tribui non omnes possunt; sed in nugis illis Philastrianis quis nulla dicere audeat veritatis semina latere? Sit igitur hoc constitutum, TERTVLLIANVM in libro nostro, cum acta PAVLLI reiiceret, scriptum aliquod repudiasse, quod fictum erat a LEVCIO, qui iustitiam vitae, sine nuptiis transactae, omni modo defendebat. Iam placet prouocare ad PACIANVM Episcopum Barcellonensem Saec. IV., qui *) *Phryges* h. e. Montanistae, inquit, *se animatos a* LEVCIO *mentiuntur*. Neque illud testimonium videtur a vero aberrare propterea, quod certum est, Montanistas eodem modo atque Encratitas, e quorum disciplina LEVCIVS erat, nimium tribuisse iis, qui abhorrebant a nuptiis. Vnde hoc effici posse credo:

*) Epist. I. ad Sympronianum Nouatianum, edita in Biblioth. maxima P. P. Lugdunensi Tom. IV. p. 305. G.

do: TERTVLLIANVM, si quidem librum nostrum, inter MONTANI discipulos constitutus scripsisset, cautius fuisse locuturum de libro tali, qui LEVCIVM auctorem habebat, neque illum fraudis accusaturum, cum is ipse cum Montanistis sentiret Quod si quis contradicat, elabi nobis illam causam propterea quod non satis constat: ignoraueritne TERTVLL. verum horum actorum parentem? (quod vix credibile est in tam curioso vniuersae antiquitatis exploratore) dabo illud, si ita placet; hoc tamen mihi quisque vicissim dederit, nisi quis contrariam sententiam docuerit, satis hanc suspicionem impedire debere, quo minus hunc TERTVLL. librum ad genus eorum librorum abiiciamus, quos post secessionem ab Orthodoxis factam composuit.

§. XXXVII.

Venio nunc ad libros, quos *vxori suae* TERTVLL. inscripsit, qui quod sint coniunctim editi, dubitari non patitur libri posterioris principium *). In quibus libris tametsi sint, quae videantur erroribus Montanistarum consentanea; tamen ego hos ausim potius in numero eorum collocare, quos ante hanc defectionem perscripsit. Quod mihi primum videtur confirmare eo, quod nusquam suum Paracletum TERTVLL. iactat in

*) *Proxime tibi — — quid feminae sanctae sectandum sit, prosecutus sum.*

in rebus iis, in quibus multum auctoritatis huius effata habitura fuissent. Namque, vt hoc vtar, cap. 7. lib. I. extrem. vbi satius esse disputat fugere secundas nuptias, nullum excitat PARACLETVM quem locum nunquam praetermittit in libris, qui e Montanistarum disciplina prodiere, sed vnam adhibet auctoritatem disciplinae Ecclesiae et Apostoli legem, qua, qui bis *) matrimonium

*) Perspicue, nisi fallor, hic locus, et alter ille e libro *de exhort. castit.* c. 7. excitatus, vt alia multa non tangam, docet, antiquam Christianorum Ecclesiam verba PAVLII 1. Tim. III. 2. de Episcopo *μιᾶς γυναικὸς ἀνδρὶ* sic cepisse, vt PAVLVS de secundis doctorum nuptiis dixerit. Nam in illo TERTVLLIANI loco, cum interdictas has sacerdotibus V. T. dixisset *Christo*, inquit, *servabatur sicut in ceteris, ita in isto quoque, legis plenitudo. Inde igitur apud nos plenius atque instructius praescribitur, vnius matrimonii esse oportere qui alleguntur in ordinem sacerdotalem. Vsque adeo quosdam memini digamos loco deiectos.* Vbi neque vult illis de sacerdotibus intelligi, qui praeter vxorem etiam meretrice quadam vtebantur, vt videbatur HEUMANNO *in Erklärung des* N. T. Part. IX. p. 179., neque more Montanistarum loquitur. Nam contra illam HEUMANNI interpretationem pugnat vniuersum TERTVLLIANI consilium, qui clare dicit de *castrata licentia saepius nubendi*, et cap. 6. de duplici Dei *dispositione*, vna illa; *Crescite et multiplicamini*, altera; *Tempus iam in collecto est* etc., qua Deus *abolefecerit* priorem. Neque commemorat sententiam Montanistis propriam, sed

nium contraxerant, ait, ab officio publico seiungi, quae verba haud scio, an non sint minus accommodata scriptori Montanistico, quam ei, qui doctrinas Ecclesiae rectius sentientis sequebatur. Deinde in eadem sectione vxorem, si denuo societatem coniugalem inierit non, ait, male facere, adiicitque e mente PAVLLI Apostoli non quidem non honestas esse secundas nuptias, sed tamen eas sollicitudinem non leuem calamitatesque inducere. Neque lib. II. c. 1. abstinentiam a nouo matrimonio aliunde commendat, nisi ex eo, quod ea maiorem afferat vtilitatem. Quod est nimiae leniratis in scriptore Montanistico, cuius disciplina omnes secundas nuptias in loco summorum vitiorum habebat. Denique libro II. vxori suae permittit nouam post obitum suum coniuncti-

illis atque Catholicis communem. Nam *primum* in locis similibus libri *de Monogamia* (c. ii.) conuincit aduersarios iniquitatis repetitarum nuptiarum sic, vt eos *tale matrimonium postulare* dicat *ab iis, quibus non liceat tale habere, ab Episcopo monogamo, a presbyteris et diaconis eiusdem sacramenti, a viduis etiam, et laicis* et ab Apostolo interdictas argumentatur nuptias, propterea, quod *totum ordinem Ecclesiae* (h. e. sacerdotes) *de monogamis disponat.* Quae omnia ostendunt: Catholicos secundas sacerdotum nuptias repudiasse, cum ex eorum sententiis colligat: nec laicis huiusmodi nuptias concedi posse. Ac. c. 12. planissime sic ait Catholicos argumentatos; *Solos, qui sunt in Clero, monogamiae*

iunctionem ineundam, neque illud alia seueriori lege, nisi vt nubat Christiano, dicitque (c. 1. p. 187. B. F.): difficilium rerum facilem esse veniam. Sed Montanistae quo modo excipiebant eos, qui ad nuptias redierant? *Digamos*, inquit, TERTVLLIANVS (de *pudicit.* c. 1. extrem.) *foris sistimus, eundem limitem moechis quoque et fornicatoribus figimus - - non amplius ab Ecclesia quam publicationem dedecoris relaturis.* Scilicet hoc est facilem veniam dare. Iam haud difficile est ad iudicandum, num possint ista tam clara, quae caussam a nobis propositam adiuuant, loca conuelli aliqua tali similitudine dictorum quorundam, quae sunt in istis libris, cum iis, quae seuerior MONTANI disciplina in aliis TERTVLLIANO persuasit. Illud vero vnum, quod habet HOFFMANNVS (l. c.

miae iugo adstrinxit; ergo id non omnibus praescribit. *Deinde* hanc constitutionem, qua sublatae sint secundae nuptiae, non Paracleto sed *Christo* tribuit, et adhibet Apostoli verba, qui *plenius atque instructius* (quam in V. Test.) *praescripserit: vnius matrimonii esse oportere, qui allegantur in ordinem sacerdotalem.* *Tum* statim addit: *Vsque adeo quosdam memini digamos loco deiectos.* Quod de Catholicis oportet intelligi; nam Montanistae ne Laicum quidem secundarum nuptiarum reum tulissent. In nostro vero loco sic loquitur: *Quantum detrabant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiae secundae, disciplina Ecclesiae et praescriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit praesidere, cum viduam adlegi in ordinem, nisi vniuiram, non concedit.*

(l. c. §. 12.), argumentum, quod libri isti scripti sint, cum quaestio de fuga in periculo propter religionem agitata fuisset, eaque salutem petere quemquam debere TERTVLL. cum Montanistis negasset; hoc illud vnum adeo nos non mouet, vt eamus in eius sententiam, vt ab ea magis retrahat. Nam ille ipse locus, quem promit e lib. I, c. 3: *Etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere de oppido quam deprehensum et distortum negare*, ille satis docet TERTVLL. non omnem fugam in tali tempestate non legitimam existimasse, eum igitur confirmat tempore eo, quo hos composuit libros, cum Montanistis minus quam cum ceteris sensisse.

§. XXXVIII

Quam ob rem etiam hos eximamus e librorum Montanisticorum numero, et qui eo rectius referri debeant, videamus. In quibus non dubito aureum *de patientia* librum primo loco ponere. Nam etsi TILLEMONTIVS *) hunc velit iis adiungere, qui superiores sunt defectione TERTVLL. ad Montanistas, propterea, quod et fugam in publicis Christianorum propter religionem calamitatibus non spernit, et magnam modestiam adhibet; tamen illa nequaquam idonea ad hanc rem confirmandam arbitror. Nam

*) Mémoires p. s. a l' histoire Ecclésiastique Tom. III. p. 262.

Nam de modestia, ea non video quare vti TERTVLLIANVS non etiam post susceptam in Orthodoxos inimicitiam potuisset, neque enim ea propria est virtus recte sentientium; et illi alteri ne sua quidem veritas constat. Etenim in eo loco, e quo potestatem fugiendi a TERTVLLIANO concessam excitare conatur (c. 13. p. 168. A.) fuga illa nullo modo conceditur, sed ipsam patientiam, affirmatur, firmitatem humanae imbecillitatis praestare; ignem etiam et crucem et bestias et gladium ipsa constantia vinci. Atqui sunt etiam in hoc quamuis praeclaro libello plura, quae animum TERTVLLIANI Montanistarum erroribus non leuiter tinctum ostendunt, suntque ibi omnes fere Montanistarum errores propositi. Ac significatio illa quidem Paracleti subobscura est, non nulla tamen in hoc loco c. 1. (p. 159.): *ad capienda et praestanda ea, sola gratia diuinae inspirationis operatur.* Porro praestantia nuptiarum non repetitarum ita fere proponitur c. 13. (p. 168. A.): *Patientia sanctitati quoque procurat continentiam carnis; haec et viduam tenet et virginem adsignat, et voluntarium spadonem ad regna caeli leuat.* Secundas item nuptias adulterii nomine traducit c. 12. (p. 167. A.). Inediae ex arbitrio susceptae maxima laus ex h. l. cernitur c. 13. (p. 167. D.). *Affectatio carnis hostia domino placatoria per humiliationis sacrificium, quum sordes cum angustia victus*

Domi-

Domino libat, contenta simplici pabulo puroque aquae potu, quum jejunia coniungit, quum cineri et sacco inolescit De fuga iam dixi, Negata denique semotis a societate sacra peccatoribus venia nonne est in his verbis c. 12. (p. 167. A.), vbi omnem peccatorum spem non in venia ab Ecclesiae sodalibus obtinenda ponit, sed in salute ea, quam Christiani horum emendationem exspectantes vel exoptarent vel exorarent; praeter quod a collegio sacro Montanistarum exspectandum nihil erat? (Vide *de pudicitia* c. 1. extr.). Qui Montanistarum errores quamuis non possint nisi per quaedam veluti involucra in hoc libro perspici; tamen ex eo nihil efficitur, nisi quod hic libellus sit ex eo tempore, quo illa TERTVLLIANI contentio in defendendis Montanistarum scitis vel nondum exarserat, vel restincta aliquo modo erat. Aetas igitur huius libelli non satis certa est. Quod imminente iam Christianis periculo scriptus sit, non admodum dubitem, est enim aliqua huius sententiae non inepta ratio in ipso libri argumento quaerenda. At vero scripseritne illum TERTVLL. inter motus SCAPVLAE aduersus Christianos, imperante CARACALLO, excitatos, quod ALLIXIO placuit, an sub initium calamitatum publicarum sub SEVERO AVG., quo tempore et ille de *fuga in perse.* placidus ille non minus et mitigatus commentarius prodiit, id nemo facile dixerit; quare ad alium transeamus. §. XXXIX.

§. XXXIX.

Est is *de velandis virginibus* liber, quem ad primos errorum MONTANI plenos pertinere, non admodum dubito. Nam de illo nos haesitare non sinit creberrima Paracleti nouaeque eius disciplininae commemoratio; vt ne necesse quidem sit, vel libri istius similitudinem cum iis de *cultu feminarum*, qui sunt e Montanistarum disciplina, vel obscuriorem vnius coniugii (c. 3. p. 194. A.) defensionem referre. Quid enim illa significatio reuelationum, quibus, vt ait ille (c 17 p. 204. A.), Dominus velaminis spatia metatus est? quid nouitas correctionis, quam lege fidei (in symbolo Apostolico comprehensae) manente, cetera disciplinae et conuersationis, operante et proficiente vsque in finem gratia Dei, admittant (c. 1 p. 192. c.)? quid ille Paracletus, quem miserit Dominus, vt paullatim dirigeretur et ad perfectum perduceretur disciplina? (ibid.) quid enarratio aetatum disciplinae Christianae, in quibus iustitia demum per Paracletum componenda sit in maturitatem? quid, inquam, haec omnia aliud quam TERTVLLIANVM MONTANI discipulum testantur? Sed neque illud magis obscurum est, primum hunc fere foetum esse, quem coniunctus cum Montanistis ediderit. Namque, vt ab hoc ordiar, nullus fere est inter omnes eius Montanisticos liber, in quo

quo maiorem vim adhibeat ad defendendam disciplinam Montanistarum a culpa nouitatis, quam is, de quo quaeritur, in primis sect. 1. 2.; quod certe dat locum suspicandi non inepte, TERTVLLIANVM hunc, quam primum se Montanistis adiunxerat, composuisse, vt crimen a se nouarum rerum remoueret. Nec in vllo alio magis videtur Paracletum eiusque disciplinae diuinam originem defendere nisi in hoc ipso, quam non modo agnitionem Paracleti sed defensionem, cum alibi (*adv. Praxeam* c. 1. p. 634. D.) dicat se disiunxisse a Psychicis, facile est intellectu, nostrum librum, in quo vehementer eum quidem defendit, inter primordia temporis ab ipso apud Montanistas acti exaratum fuisse. Atque illud confirmari multis argumentis non probabilitate destitutis potest. *Primo* sub isto ipso tempore scripti sunt libri *de cultu feminarum*, vt alio loco disputabamus, isti vero eiusdem prope sunt cum nostro argumenti. *Deinde*, cum haberet occasionem satis opportunam inuehendi seuerius in orthodoxae ecclesiae addictorum, nonnullorum saltem, in velandis virginibus consuetudinem contrariam suae; tamen hic multo modestius disputat, quam in aliis, qui sunt Orthodoxis oppositi, quod, nisi quod vellemus admittatur, conceptu difficile esse quisque dicet, qui vehementissimam TERTVLLIANI in defendendo Montanismo animi commotionem aliunde

de intellexit. *Denique*, tametsi multum profuisset causae, cuius in libro nostro defensionem susceperat, si calamitatum publicarum et periculorum, quibus Christiani a Deorum cultoribus obiiciebantur, mentionem iniecisset, ipse etiam TERTVLLIANVS, qui nihil solet omittere causae suae proficuum, illud argumentum in libris *de cultu feminarum* nostri similibus adhibuerit, tamen hic ne vno quidem verbo eas ait exstitisse. Qua ex re colligi potest, eum scriptum esse tum, cum talibus malis non essent Christiani oppressi. Atqui cum eum dixerimus compositum esse, postquam TERTVLLIANVS se Montanistis adiunxerat, apparet, nostrum librum non posse antiquiorem esse anno CC. quoniam TERTVLLIANVM alibi docebamus eo anno ad Montanistas transsiisse; neque multo posteriorem etiam, cum anno CCII. calamitates a SEVERO excitatae iam ceperint initium. Sed eum librum noluimus inter illos referre, quorum aetas certissime constaret propterea, quod coniectando magis quam adhibitis certissimis argumentis eius potuerunt natales constitui.

§. XL.

Neque vero ita multo post scripti videntur libri ii, quibus domesticas Montanistarum doctrinas a contemtu et impetu contrariae patris vindicare studuit, quales sunt, *de exhortatione castitatis*, *de monogamia*, *de jeju-*

jejuniis, *deque pudicitia* commentationes. Quas esse omnes plenas errorum MONTANI nemo est, qui dubitet, et eas hoc fere tempore h. e. sub initiis Montanismi SEPTIMII prodiisse, dubitari vix magis potest. Quod vtrumque singulos hos libros percurrendo breuiter docebimus, ne haec nostrae scriptionis pars, quamuis ab aliis etiam tractata, desiderari videatur. Sunt vero isti, si quid video, eodem ordine editi, quo eos enarrauimus; ita vt horum primus videri possit is, qui est *de exhortatione castitatis*. Qui quidem non refertur ab HIERONYMO (Catal. scriptor. Eccl. c. 53.) in numero librorum, quos ad defendenda MONTANI scita TERTVLLIANVS composuerit; sunt etiam in hoc libro, quae rem non satis excutienti persuadere possent, nondum tum de illa disciplina eum fuisse; sed ea quidem sunt leuiora Nam quod HIERONYMVS in indice horum librorum nostrum non habeat, huius rei potest haec ratio esse, quod non voluerit enumerare, nisi libros eos, quos opponendi Orthodoxis consilium TERTVLLIANO fuit, is vero *de exhortatione castitatis* liber non iis oppositus est, sed scriptus ad docendum fratrem, nescio quem, quem non tam confutare de nuptiis repetendis cogitantem voluit, quam ad omittendas istas adhortari. Praeterea non equidem inficior, satis hic modestiae et plus esse quam in ceteris, qui doctrinam aliquam Montanistarum

dispu-

disputant, ipsum etiam TERTVLL. in hoc libro suadere magis et vtile honestumque dicere vnum coniugium, quam perfectam intermittendarum secundarum nuptiarum necessitatem defendere; vnde colligere quis posset, eum inclinasse forte, sed nec tum se applicasse ad partes Montanistarum, quemadmodum et illud in libris *ad vxorem* superius diximus. At ista modestia facilitasque eius apparet etiam in aliis libris haud dubie tempore eo scriptis, quo iam se disciplinae MONTANI dediderat, et admiranda non nimis est in libro tali, qui est instar epistolae suasoriae, in qua solemus vti summissiori placidaque dictione, ac scriptus videtur non ad aliquem Montanistarum, qui seueriore disciplina delectabatur, sed ad quemdam de Ecclesia Orthodoxorum hominem. Cuius rei non obscura est in principiis libri significatio, vbi fratrem illum ait sine dubio *de exitu singularitatis* (h. e. de restaurandis nuptiis) *cogitare*; quod haud scio an non cadat in eum, qui cum Montanistis non legitimas putabat secundas nuptias. Neque ego ignoro scrupulum TILLEMONTII (l. c. p. 202.) qui et magnam sibi fingit inter hunc et *de monogamia* commentarium dissimilitudinem, quae nulla fere est recte attendenti, et praeteritam silentio MONTANI memoriam miratur. At ne appellem illum locum, quem non expressum in libris nostris RIGALTIVS (in not. ad h. l. p. 114.) restituit, in quo summae

mae PRISCILLAE, vatis Montanisticae, laudes continentur; non fuisset prudentiae, ei laudare MONTANVM, qui repudiare eius disciplinam videbatur. Sed si qua est etiam alia dubitatio, omni illi opponi potest, non solum summa, etiam ad verba, similitudo cum libro *de monogamia*, quem fere libri nostri posses dicere παράφρασιν, sed quoque id, quod est c. 6. (p. 98. B). - *Deus in primordio sementem generis emisit indultis conjugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec nouae disciplinae materia proficeret; nunc vero sub extremitatibus temporum compressit, quod emiserat, et reuocauit quod indulserat.* Neque vero est a veritate magis alienum, librum nostrum fere primum dicere eorum, quorum ipsum argumentum versatur in defendendis Montanistarum erroribus. Nam *de monogamia* librum non possumus eodem, cum nostro, tempore scriptum existimare propterea, quod, vti dicebamus, est prorsus eiusdem argumenti. Deinde nostrum videtur TERTVLLIANVS prius scripsisse, quam illum, qui, si iam exstitisset, cum se ad nostrum scribendum accingeret, nostri scribendi nulla necessitas fuisset, sed fratrem illum potuisset ad commentarium *de monogamia* tanquam ad publice editam disputationem remittere. Sed nostrum si prius scriptum esse arbitremur, non poterat is commendari Psychicis: si quidem non publice erat, sed priuato alicui propositus.

Deni-

Denique ostendemus postea, librum *de monogamia* esse fere sub initium calamitatum ab ipso SEVERO a CCII excitatarum scriptum, ceterosque Psychicis consulto oppositos posteriores esse eo *de monogamia;* itaque necesse est credere, nostrum *de exhortatione castitatis* librum illos aetate fere superare.

§ XLI

Deuoluitur ergo oratio nostra ad illum *de monogamia* librum, in quo cum vbiuis Psychicos redarguat, Paracletum auctorem suum (c. 4. init. c. 14. cet.) cum noua prophetia decantet, suosque crepet spirituales ita propter agnitionem charismatum appellatos, denique in impugnandis secundis nuptiis sermonem consumat vniuersum, non necesse est, multis hunc librum asserere Montanisticis. Sed paullum iuuat in tempus scripti huius commentarii inquirere. Cum illum locum PAVLLI, quo abstinentiam a nuptiis suadet propter iniuriam illius temporis, quo subiecti Christiani erant periculorum perpetuitati, TERTVLLIANVS ad caussam suam contorsisset, *magis* NVNC addit, *tempus in collecto est*, (c. 3. p. 675 b.); neque his ipsis verbis obscure significat, magnam tempestatem calamitatum tum, cum de monogamia scriberet, in Christianos irruisse. Quod etiamsi quis diceret, etiam dici a TERTVLLIANO potuisse nulla adhuc calamitate publica in Christianos existente, illud

lud tamen multo est probabilius propterea, quod admodum credibile est, TERTVLLIANVM statim sub initium susceptI Montanismi animum ad huius disciplinae doctrinam defendendam appulisse. Id si verum sit, incidit profecto hic liber in ea tempora, quibus iam ignis calamitatum publicarum inter Christianos exarserat. Hoc igitur loco dum requiratur, qualis vexatio Christianorum intelligenda sit, demonstrari ista nullo negotio potest. Nam post TERTVLLIANI ad Montanistas secessionem ea repente exstitit rerum perturbatio, quam SEVERVS AVG edicto suo concitauerat. Atque haec cum coepta a CCII. fere post annum CCIV. desierit, scriptique sint post librum nostrum libri *de jejuniis*, *deque pudicitia*, non librum nostrum abhorret in annum fere CCIII. coniicere. Neque vero vereor, huic subiungere illum *de jejuniis* librum, quem posteriorem esse libro *de monogamia* et alteram veluti disputationis aduersus Psychicos partem, initium istius libri satis ostendit, ipsumque illud docet non ita multo post illum editum a TERTVLLIANO fuisse. Est igitur is quoque in publica quadam vexatione expositus, quam significare hinc inde, veluti in extrema libri parte videtur; nec potest vindicari a Montanismi suspicione non modo propter illam libri aetatem, sed propter Paracleti etiam defensionem *), et bellum Psychi-

*) c. 10. p. 708. D. c. 11. p. 710. A. c. 13. p. 711. C. c. 10. p. 708. C.

Pſychicis publice in hoc libro indictum. Poſt hunc vna reſtat commentatio, Pſychicis ſtudio oppoſita, ea videlicet, quae eſt *de pudicitia* inſtituta. Quam eſſe contra aduerſarios Montaniſtarum ſcriptam nemo vmquam dubitauit, nec dubitare quis poteſt propterea, quod ipſe illud TERTVLL. ſeque alienum a ſocietate Pſychicorum profitetur *). Suntque multa vel libro ipſi impreſſa (c. 22) vel aliunde certa ſigna, qualia ORSVS **) produxit, quae non admodum recentiorem hunc librum calamitatibus a SEVERO Chriſtianorum familiae inflictis, annum igitur natalem huius libri fere CCIV. aut ſequentem oſtendunt.

§. XLII.

Hos nondum fere libros contra Eccleſiam Orthodoxam confecerat, cum alii ſe generi diſputationum aduerſus haereticos dederet. Namque horum doctrinas libris ſtatim ſibi ſubiectis TERTVLLIANVM exagitaſſe, non abhorret a vero, quoniam ipſi hi libri eandem fere aetatem magna ſub SEVERO calamitate Chriſtianorum paullo poſteriorem produnt; et ſi quis coniecturae dandus eſt locus,

*) c. 1. p. 715. D., c. 6. p. 721. A. c. 10. p. 726. D. c. 16. p. 735. D. cet.

**) in diſſ. de pace et abſolutione capitalium criminum a catholica Eccleſia tribus prioribus Saeculis non denegata. Cap. IV. Digreſſ. 3. p. 120. ſqq.

locus, non inepte quis TERTVLLIANVM concentum cum vera Ecclesia suum in rebus ad fidem pertinentibus ipsis his doctrinis aduersus haereticos defendendis confirmare voluisse diceret. Ac in his libris nulla videtur antiquior disputatio illa, quae est aduersus PRAXEAM; nam et videtur paullo ante librum *contra Valentinianos* conscripta; nusquam enim in hoc *Antipraxea*, quamuis saepenumero Valentinianos commemoret, ad librum Valentinianis oppositum prouocat, quem morem alias, id quod omnibus ipsum legentibus constat, tenere solet TERTVLLIANVS; et quod videtur ad ea, quae diximus, confirmanda, accommodatius, PRAXEAS is erat haereticus, quem Montanistae sibi longe molestissimum putare debebant, quoniam is ipse, praeterquam quod errorem doctrinae de Triade sanctissima aduersum disseminauerat, persuaserat etiam Pontifici Romano, quem viri docti satis bene VICTOREM fuisse existimant, vt iam paratam Montanistis pacem refringeret (Vid. c. 1.). Neque ergo difficile est credere, initium disputationum suarum TERTVLLIANVM a velitatione cum PRAXEA fecisse. Quam nemo negabit a TERTVLLIANO Montanista fuisse susceptam; ipsum enim nomen Psychicorum (c. 1.), ipse PARACLETVS, in quo se melius de veritate mysterii de summa maximâ Triade edoctum profitetur (c. 2. p. 635. A. c. 8. p. 639 D. &c.), ipsa denique

nique professio: agnitionem PARACLETI et defensionem seiunxisse se a Psychicis, ponunt illud supra omnem dubitationem Sed de ipsa huius libri aetate nos non audemus asseueranter pronunciare, quamuis, si ista aduersus PRAXEAM disputatio prima est inter concertationes cum haereticis, atque hae secutae sunt statim libros Orthodoxae Ecclesiae oppositos, anno fere CCIV aut V. adsignari non male possit. Hanc excipisse librum *aduersus* HERMOGENEM non dubitarim dicere, est enim iste antiquior libro *de anima* et illo *aduersus Valentinianos*, vt postea docebitur, qui cum compositi sint fere transactis furoribus Seuerianis, eidem cum *Antipraxea* anno tribuendus videtur noster libellus, quem a Montanista TERTVLLIANO profectum esse peracerba in repetitas ab HERMOGENE nuptias oratio (c. 1.) non obscure declarat. Huic veluti appendicem adiecit, quod initium libri et multa alia loca docent, librum *de anima* refertum somniis innumerabilibus, qui habet haud dubias Montanismi notas *), sed fueritne eodem fere cum libro *aduersus* HERMOGENEM anno, an post annum demum CCVIII. scrip-

*) e. c. cum c. 55. et 58. Paracleti monita et testimonium excitat, ibidemque et c. 9. (p. 311. A.) dicit suos *spiritalia charismata agnoscere, ac post Ioannem quoque Prophetiam meruisse consequi.*

scriptus, illud vero cadere in disceptationem potest. Nam c. 2. (p. 324.) *Inesse*, ait, *nobis τὸ ἀντεξέσιον naturaliter iam et* MARCIONI *ostendimus*; quae disputatio in libro, qui exstat, *aduersus* MARCIONEM secundo c. 6. occurrit; sed potest etiam a TERTVLLIANO vnus librorum contra MARCIONEM deperditorum intelligi. Si illud statueris, erit *de anima* scriptio posterior anno CCVIII; sin hoc, potest etiam ante illum annum collocari. Quarum sententiarum mihi magis posterior probatur: nam vt appendices librorum, qualis est noster libellus, magis moris est statim, non longo post tempore, iis subiicere, sic et eodem modo in *Scorpiace* amissos iam libros aduersus MARCIONEM excitat (V. supra §. XXVI.), et erit ordo librorum TERTVLLIANI, si ista admittatur sententia, multo concinnior. Etenim in ista *Scorpiace*, quam probauimus anno CCIV. scriptam fuisse, haereticos, Gnosticos et Valentinianos, queritur impugnare supplicia sponte a Christianis propter religionem suscepta (c. 1. p. 176. a. c. 4. 3.). Sed in libro *de anima* (c. 55.) multa disputat de gloria martyrum, et huic libro, vt postea apparebit, statim subiecit aduersus *Valentinianos* librum, in quo (c. 30. init.) impugnatam ait a Valentinianis martyrii necessitatem. Itaque satis videtur veritati consentaneum, nostrum *de anima* et *aduersus Valentinianos* librum non multo post *Scorpiacen* anno fere CCV. fuisse conscriptum. §.

§. XLIII.

Ordo igitur librorum postulat, vt nunc de hac VALENTINIANORVM reprehensione dicamus. Est vero illa defectione TERTVLLIANI ad Montanistas inferior: quod quidem dicta huic disputationi adsperſa non planissime docent; nihil est enim in hoc libello doctrinarum, quod non potuisset etiam ab Orthodoxo proficisci; sed tamen id apparet dupliciter. Primum, quod iam se dicat (c. 16. extrem.) cum HERMOGENE de eodem atque cum Valentinianis argumento congressum fuisse, quae Antihermogeniana disputatio est a nobis modo Montanistico scriptori asserta; deinde quod vehementer optat (c. 5. extr.) vt sibi daretur assequi PROCVLVM in omni opere, quem et *virginis senectae et Christianae eloquentiae dignitatem* appellat. Hunc PROCVLVM ego non dubito PROCVLVM illum Montanistam fuisse, cuius exstat apud EVSEBIVM (lib. VI. H. E. c. 20.) memoria, cum propter laudem virginitatis eius, quam tanquam praeclaram in eo virtutem TERTVLL. collaudat, tum propterea, quod ipsum *nostrum* nuncupat, distinctum hoc nomine ab iis, quos modo laudauerat, IVSTINO MARTYRE, MILTIADE (*Ecclesiarum Sophista*, vt ait forte incensus odio huius viri, qui, (vt refert EVSEBIVS l. c. lib. V. 17.) etiam se Montanistis opposuerat), atque IRENAEO, scriptoribus Orthodo-

thodoxae Ecclesiae. Sed ipsam huius libri aetatem si quis subtilius percunctatur, satis videtur consentaneum dicere, eum esse non ita multo post sopitam quodam modo crudelitatem in Christianos exaratum. Nam et confessionem veritatis christianae sub potestatibus istius saeculi et apud tribunalia praesidum (quam vrget c. 30.) defendere non admodum necesse erat, nisi tum vel ipsum illud calamitosum tempus, vel eius viua memoria exstitisset, et est, vt modo dicebamus, hic liber eodem fere cum *Scorpiace* tempore scriptus, postquam furor SEVERI restinctus fuerat, vt historia huius temporis docet. Itaque placet ad librum *de praescriptionibus haereticorum*, progredi, quem huic subiicere non dubitamus; quidquid etiam in contrariam partem TILLEMONTIVS *) et WHISTONVS **) disputauerint. Nam libro I. *aduersus Marcionem* c. 1. (p 431. A. se aliquando exaraturum promittit disputationem *de praescriptione* aduersus haereticos, e quo hoc necessaria conclusione elicitur, demum post annum CCIII. nostrum librum luci fuisse expositum. Atque illud ipsum, neque tempore eo, quo librum nostrum perscriberet, vacuum a Montanistarum errori-

*) l. c. Part. III. p. 203. et not. 6. sur TERTVLLIEN. p. 656.

**) in scripto: the true origin of the Sabellian and Athanasian Doctrines of the Trinity p. 3. sq.

roribus fuisse animum TERTVLLIANI, clarissime ostendit; vt non dicam, horum errorum vestigia non obscura esse in hoc libro, veluti c. 40. vbi, cum doceat, etiam malignum genium aemulari institutiones diuinas, *quid quod* inquit, *et summum Pontificem in vnis nuptiis statuit, habet et virgines, habet et continentes*, et quae sunt generis eiusdem. Sed age aperiamus ea capita, vnde omnis ad hanc caussam disputatio ab iis, qui contra sentiunt, ducitur: Ac primum aiunt, locum a nobis e libro *aduersus* MARCIONEM exitatum significare etiam posse librum iam scriptum, WHISTONVS etiam aliud exemplum ponit huius loquendi modi nec necessarium in re omnibus nota nec vllo modo aptum e lib. V. c. 19. Sed illud defendi non satis potest. Nam quotiescunque TERTVLLIANVS aliquem librum iam a se compositum profert, nunquam futurum adhibet loquendi genus, sed vbiuis praeteritum, atque eodem, opinor, modo praeteriti temporis flexionem vsurpaturus fuisset TERTVLLIANVS, vt fecit de hoc libro alibi *), si illum iam a se compositum voluisset dicere. Neque vero illud minus est contortum, cum locum ex *Antimarcione* TILLEMONTIVS putat remanere potuisse e libris iis, quos ante hoc, quod exstat, opus *aduersus* MARCIONEM iam contra eum scripserat. Nam et illud mera coniectura est nullo modo probabilis propterea,

*) in libro *de carne Christi* c. 2. p. 359. A.

terea, quod TERTVLL. cum se ad scribendos nostros *aduersus* MARCIONEM libros accingeret, vnam illi oppositam disputationem resciissam, alteram amissam confirmat, et istud argumentum TILLEMONTII in se etiam ineptum est. Quod vero dicit, librum *de carne Christi* esse priorem libris nostris *aduersus* MARCIONEM, hunc vero posteriorem libro *de haereticorum praescriptione*, ea non conor attingere; est enim ea de re satis §. XXVIII. et XXIX. disputatum, vnde intelligetur, primum nostrum librum Antimarcionis, de quo hic quaerimus, non esse cum ceteris editum, nec vllo modo illo *de carne Christi* posteriorem Sed in fine libri de praescriptione TERTVLLIANVS: *nunc quidem generaliter*, inquit, *actum est a nobis aduersus haereses omnes, certis et iustis et necessariis praescriptionibus repellendas. a collatione scripturarum, De reliquo – – etiam specialiter quibusdam respondebimus.* Audio. Quid ergo est? omnes sunt TERTVLL. aduersus haereticos libri posteriores eo, qui est *de praescriptione.* At istum locum TILLEMONTIVS, vt mihi videtur, non recte cepit. Nam in eo loco non generatim in hoc libro, TERTVLLIANVS ait, se haereticos confutasse, sed addit, se id feciisse vniuerse *certis et iustis et necessariis praescriptionibus.* Itaque in aliis libris non se pollicetur separatim confutaturum haereticorum singulorum doctrinam, sed ostensurum se, singulos etiam haereticos eorumque

que ſcita aetate doctrinis recte ſentientium cedere. At denuo WHISTONVS l. c. p. 4.: antiquior eſt is *de praeſcriptione* commentarius *apologetico* TERTVLL Quam ob rem obſecro? *expedite*, inquit in *apolog.* c. 47., *praeſcribimus adulteris noſtris, illam eſſe regulam veritatis, quae veniat a Chriſto, transmiſſa per comites ipſius, quibus aliquando poſteriores diverſi iſti commentatores probabuntur.* Acutum vero hominem, qui cum de praeſcriptione audit, etiam librum ſuper ea re ſcriptum videt! Et ea quidem oppugnatio ad aetatem huius libri magis pertinebat; cetera, quibus ſe adactos eo dicunt, vt hunc librum e numero Montaniſticorum proſcriberent, haec ſunt. *Primum* WHISTONVS adiectum libro noſtro libellum, qui haereticos ortos in familia Chriſtianorum recenſet, obiicit, in quo planiſſime οἱ κατὰ φρύγας haeretici condemnantur; quod eſſet argumentum nullo modo eludendum, ſi, quod probandum ſuscipit WHISTONVS, hic libellus vindicari TERTVLLIANO poſſet. Sed quid pro ſententia hodie a viris doctis prorſus profligata diſputet, audiamus tamen. Idem eſt, ait, in hoc, quod in ſcriptis TERTVLLIANI, dicendi genus. Quomodo tandem? Graeca ſaepius verba libellus latinis miſcet; loquitur eo modo, quo Africani ſolent, horrido illo et paene barbaro; acutis perſequitur haereticos concluſiunculis, multa etiam ex IRENAEO ſumit; denique haereticos narrat

rat a TERTVLLIANO commemoratos, etiam eos, quos vnus ille habet, veluti EBIONEM et PRAXEAM. At si, qui hunc libellum scripsit, Afer genere fuit, vel TERTVLLIANVM descripsit? Nihil ad haec WHISTONVS Progrediamur ergo. Clarissime AVGVSTINVS (de Haer. n. 86.): TERTVLLIANVS *transiit ad Phrygas, quos antea destruxerat* Vbinam tandem? Nusquam, ait WHISTONVS, tam ample quam in hac appendice. Certe audiam vnde haec WHISTONVS didicerit HIERONYMVS *aduersus Luciferianos* ex hoc, de quo quaerimus, libello multa tamquam ex antiquo scripto sumit, itemque EPIPHANIVS. Sit ita sane, descripserint igitur multa; ergo hic libellus magnam habet antiquitatem; habet profecto, etiam TERTVLLIANO forte aequalem; an eum etiam parentem habeat, id nondum video a WHISTONO planum his testimoniis factum. *Deinde* abhorrere arbitrantur: quod TERTVLLIANVS, separatus a communi Ecclesia, scripserit librum tam bellum tamque fortem ad exagitandos omnes, qui se erroribus ab Ecclesia separassent; ac, etiamsi tanta vis insit veritati, vt etiam inuitis se conspiciendam defendendamque praebeat, ipse quoque TERTVLL. saepius in libris haud dubie in Montanismo conscriptis praescriptioni aduersus haereticos insistat; tamen tanto cum consilio et amplitudine nusquam hoc telo eum fuisse vsum animaduertere iubent. Quae disputatio est magis, quam decet,

decet, arguta. Nam Montaniſtae, ipſe etiam TERTVLL., id quod conſtat, (v. de jejun. c. 1. de virg vel. c. 2.) numquam ſe alienos in doctrinis ad fidem pertinentibus ab Orthodoxis profeſſi ſunt, neque TERTVLL. vsquam Pſychicos ponit in numero haereticorum, ſed ab iis planiſſime diſtinguit (e. g. in *de monog.* ſub init.). Modo emendatam aiebant et perductam ad perfectionem diſciplinam ſuam, neque in rebus, quae ſub fidem cadunt, de quibus diſſenſio vnice haereticos conſtituit, ſe discrepantes a doctrina Chriſti et Apoſtolorum confirmabant. Itaque nihil mirari attinet, quod ex aetate recentiori doctrinarum ab haereticis defenſarum argumentum ad eos impugnandos duxerit. Alterum vero illud TILLEMONTII nihil eſt. Etenim etſi ſuſcipiam, quod hic conſilio, ſed in cereris libris obiter, de hac regula doctrinarum iudicandarum TERTVLL. diſputauerit, tamen illam non obſcure, ſed plane ſatis, proponit in libris aduerſus haereticos, et ad illam rem ex inſtituto diſputandam librum noſtrum deſtinauerat, alioque modo confutat in ceteris haereticorum ineptias. Atque haec ipſa poſſunt etiam opponi alii cuidam aduerſariorum argumento, non leui illi quidem, ſed ita forti, vt paene nos videri poſſet pertrahere in aduerſarias partes poſſe, ſed a TILLEMONTIO, quod miror, non ſatis illuſtrato. Videlicet ſummum in doctrinis

Apo-

Apostolicarum Ecclesiarum cum suis consensum, sed vehementem ab haereticis dissensum proponit (cap. 36.), et, quod longe maius est, vehementer (c. 21.) exagitat haereticos propterea, quod consueuerant dicere, non omnia Apostolos scisse, quod ipse illis videbatur Iesus Christus dixisse apud Ioannem verbis his: *multa vobis a me dicenda restant, sed susscipere ea nondum potestis.* Hos postea retundit verbis Christi iis, quae superioribus subiecerat: *cum venerit ille spiritus, is vos ad omne id, quod verum est, cognoscendum perducet;* vnde effici posse putat, omnia fuisse edóctos Apostolos, nam ipsos illos spiritum a Christo postea omnino accepisse ait ex Actis Apostolorum haud dubie constare. Atqui haec cogitanti cuidam, et apud se reputanti scita Montanistarum, qui, fere ad eumdem illum locum Ioannis posteriorem prouocantes, Paracleti disciplinam perfectiorem quoque disciplina Christi et Apostolorum defendebant, videreturne igitur illi TERTVLLIANVS tam clare aduersus ipsos Montanistas sententiam dicere, vt dubitari de ὀρθοδοξία huius libri non posset? Non equidem puto. Nam, etsi hic locus magnam habeat rationem, potuit tamen proferri etiam ab eo, qui stabat a Montanistarum partibus. Etenim, vti diximus, nusquam TERTVLL. vllum admittit inter Montanistas et Orthodoxos Apostolorum sectatores dissensum de iis esse, quae fide accipien-

pienda sunt; et quod, nullius verae doctrinae expertes fuisse Apostolos, defendit, illud dari a quouis Montanistarum poterat. Sed emendatiorem demum per Paracletum disciplinam, doctrinas etiam non nouas, sed magis confirmatas veteres Christianorum, progugnabant, immo ipsos ritus, quos recentius inductos apud MONTANI sectatores rectius sentientes clamabant, vt probet e sacris litteris, ipsorum etiam Apostolorum vel consuetudine vel praeceptis, multis in locis TERTVLLIANVS laborat. Sed ii haeretici, adversus quos TERTVLL. instituta est in libro *de praescriptione* disputatio, multarum Christi doctrinarum vel rudes Apostolos fuisse dictitabant, vel Christum non omnia omnibus tradidisse, vt noster ait in ipso hoc, quem tractemus, loco. Quam ob rem cum locus is, de quo disputamus, a Montanista non minus potuerit adhiberi, quam a socio Ecclesiae recte sentientis, hoc quaeritur, vtra sit sententia v. interpretatio ad veritatem propensior? Vbi ego non multum dubito, quin ipsum hunc librum dicam a TERTVLL. Montanista proficisci. Nam primum sunt libri Septimiani e disciplina Montanistarum ducti, in quibus illi instat praescriptioni in caussa haereticorum, nec vllo modo, quod vsu ipsi venit de libris omnibus suis, ad quos remittere lectores poterat, suum *de praescriptione haeret.* opus antestatur, veluti in libro *aduersus Praxeam* c. 2. et *aduersus* HERMOGE-

MOGENEM c. 1. Deinde si is esset Ioci superius tractati e libro nostro sensus, qualem TILLEMONTIVS fingit, non admodum credibile est, TERTVLLIANVM potuisse post scriptum hunc librum ad Montanistas delabi, qui tam dilucide sententiam aduersus MONTANI scholam dixerat, vel hunc librum, in quo MONTANI molitiones tanto impetu damnati fuerant, etiam in libris, quos tamquam Montanista exarauit, vt in *de carne Christi* (c. 2. extr.), laudare. Neque vero mirari quis debet, TERTVLLIANVM tam se adiunxisse defensioni doctrinarum in Christianorum Ecclesiis susceptarum in libro, quem tempore defectionis suae ab his Ecclesiis scripserat; tum enim iam ipso tempore restinctus aliquo modo erat ille TERTVLL. in secus sentientes Orthodoxae Ecclesiae socios furor, seque, placato paullisper animo, in haereticos conuerterat, vnde maior cum recte sentientibus consensus vel mitior de iis sententia exstitit.

§. XLIV.

Iam de libris, qui sunt *de carne Christi deque carnis resurrectione*, non est quod multa dicamus, cum hunc eo posteriorem esse illius libri in hoc excitatio satis doceat (c. 2. p. 379. D. et p. 380. C.), ac ille demum post librum *de haereticorum praescriptione* compositus sit, quod eodem modo appa-

ret

ret (Vid. § XLIII p. XCI.); at certus horum librorum annus non constat. Restant igitur ii libri, quorum nulla, vt mihi videtur, ratio vel aetatis vel doctrinae tradi potest (is enim erat tertius nostrae scriptionis locus), de quibus cum alii, qui eam rem a se perspectam putarunt, decreuisse sibi visi sint cum aliqua certitudine, quaecunque in istam rem disputarunt, ea nos, quibus magis placet in hac causa verecundius loqui, oportet paullulum postremo loco excutere. Est huius generis liber *de poenitentia*, quem TERTVLLIANI esse adeo negabat ERASMVS probatus in hac re a DALLAEO aliquando, etiam ab HOFFMANNO, maxime propter stili dissimilitudinem in hoc ceterisque TERTVLL. libris; quam ego, fateor, deprehendere non satis queo, etiamsi hic non tam appareat impeditum illud et concisum dicendi genus, quod regnat in ceteris. Neque enim tanta est, quanta putatur, haec dissimilitudo, sed eadem fracta et interrupta dictio hic exstat, quae est in aliis mitigatae paullisper dictionis libri veluti in iis, qui sunt *de patientia*, *deque fuga in persecutione*. Sit igitur hic liber SEPTIMII nostri, sed eum cum scriberet, cuiusnam sectae fuerit, dicere non audeo. At hic intercedunt fere omnes, certissimumque esse aiunt cum Orthodoxis tum TERTVLL. sensisse, namque et eum coetui sacro potestatem concedere delicta condonandi iis, qui grauius

peccas-

peccassent, quam prorsus destruxisset in libro *de pudicitia*, et in illo libro ipsum illum profiteri, se nunc confutare velle librum, quem olim haeresi communis Ecclesiae addictus pro hac potestate scripsisset. In qua vniuersa disputatione multo sapientior mihi videtur HOFFMANNVS quam in ceteris. Namque (l. c. § XIII.) pulchre monet is, longe diuersam esse quaestionem in libro *de poenitentia* propositam ab ea, quam TERTVLLIANVS in commentario *super pudicitia* posuit, atque etiam Montanistas omne illud potuisse defendere; quod est in libro *de poenitentia* propositum. Videlicet non super ea re erat Orthodoxos inter et Montanistas quaestio: possentne ii, qui ad impuritatem pristinam grauioribus delictis rediissent, interposita poenitentia veniam male factorum a Deo impetrare, quod neutri, ne Montanistae quidem, negabant, quos potius constat ipsam ἐξομολογησιν a reis postulasse, sed eam quidem non ita, vt impetraret, qui peccauerat, veniam ab Ecclesia et coniunctionis cum illa restitutionem, sed vt incitarentur probi ad supplicandum Deo, vt huic peccatori tandem aliquando veniam concederet. Sed illud quaerebatur potius: liceretne Ecclesiam vsurpare potestatem, qua se non destitutam etiam ipsa sentiret, recipiendi seiunctos a societate sua peccatores, in amicitiam veterem et communionem sacrorum; quod Montanistae ita negabant fieri

ri debere, sed Orthodoxi ita posse fieri aiebant. Hanc igitur licentiam vsurpatam ab Orthodoxis TERTVLLIANVS in libro eo, qui est *de pudicitia*, vehementer falsequae exagitat, sed in libro *de poenitentia* neque confirmat neque impugnat etiam, sed de illa venia loquitur, ad quam etiam iis, qui immersi essent grauissimis flagitiis, apud Deum, si ad bonam mentem rediissent, aditus non esset impeditus. Ex quo etiam illud efficitur, non reuocare TERTVLLIANVM in libro *de pudicitia* id, quod in singulari libello Orthodoxorum olim sententiae addictus scripsisset, sed nihil nunc fatetur nisi se aliter sentire de ista venia a coetu sacro concedenda, quam olim inter Orthodoxos non quidem scripsisset, sed sensisset tamen. Quid ergo est? TERTVLLIANVMNE putaremus hunc librum in Montanismo scripsisse? Neque hoc audeo dicere. Nam etsi peccatoribus ad pristinam eamque peruersam vitam redeuntibus non nisi vnam eamque vltimam spem veniae apud Deum impetrandae polliceri videatur (c. 8. p. 145. A. C.); tamen et in ea re nihil docet, quod proprium fuisse legamus Montanistarum, sed quod etiam ab aliis Orthodoxorum vehementer propugnatum esse inueniamus *): nullam spem

*) Vide HERMAE Pastorem Mandato IV. in FABRICII Apocryphis N. T. T. III. p. 845. sq. et loca ibi a FABRICIO citata.

spem esse salutis iis, qui post susceptum baptismum iterum grauius et ad iacturam verae pietatis peccassent, quod pessimam baptismi differendi consuetudinem in Ecclesiam postea intulit; et quae durius locutus esse videri poterat, ipse his verbis subiectis mitigat: *Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione.* Quare ad quam vel aetatem vel doctrinam hic liber referendus sit, cum aliae rei dirimendae in hoc libro significationes non exstent, me quidem prorsus nescire profiteor.

§. XLV.

Atque etiam illud non me fateri pudet de libro, quem *aduersus Iudaeos* conscripsit. In quo nihil est, quod MONTANI ineptias saperet; sed neque illud admirationem habet; nulla enim fere exstitit TERTVLLIANO in hoc libro talium commemorandarum opportunitas. Quare illud est videndum, vtrumne ibi aliqua reperiatur temporis significatio. Et ea est, quidem subobscura in duobus locis: Prima c. 7 in quo (p. 212. D.) *Britannorum inaccessa Romanis loca* commemorat, et paulo post eos *Oceani sui ambitu conclusos.* Quae res quidem BARONIVM *), ALLIXIVM aliosque deduxit in eam opinionem, vt crederent post victorias SEVERI a Britannis reportatas scriptum hunc librum esse, et ita anno fere CCVIIII; quod ego non dixerim; nam quomodo tum tandem loca

*) Annal. Ecclesiast. ad a. 212.

loca Britannorum dici inacceſſa potuiſſent, quorum ſibi auditum Romani fecerant; et qui potuiſſet TERTVLL. dicere: *trans iſtas gentes Romanos porrigere regni ſui vires non poſſe*, cum illud ipſum inter Britannos fecisſent. Nimis profecto clare confirmat HERODIANVS *), SEVERVM non modo GETAM in iis Britannorum regionibus reliquiſſe, quae imperio Romanorum ſubiectae erant, ſed SEVERVM quoque, pergit, latius ſe profudisſe Neque vero murus a SEVERO in Britannia exſtructus, qui BARONIVM ceterosque decepit, is eſt, quo TERTVLL. ſignificat concluſos finibus ſuis Britannos fuiſſe, neque enim muro ſed *intra Oceani ambitum concluſos Britannos* planisſime dicit. Sed iſta demum, quae de Britannis ceteri ſcriptores tradiderunt, ſunt in expeditione SEVERI aduerſus eos facta, quam conſtat fuiſſe anno CCVIII ſuſceptam. Prior igitur hic TERTVLL. liber exſtitit, et multo prior quidem, ſi quid video, recteque TERTVLL. altero in loco diſputauit, qui eſt c. 13. Neque enim tempore ſcripti huius libri cuiquam Iudaeorum permiſſus erat aditus ad Bethlehemum aut agrum circumiacentem, aut Hieroſolyma. Enimuero conſtat, SEVERVM multa rogaſſe Iudaeis amicas leges, quas in compendio recitauit IACOBVS BASNAGIVS **) ac iſta

*) Hiſtor. lib. III. c. 14. p. m. 170.
**) Hiſtoire des Juifs Tom. VIII. p. 49. ſq.

ista iura SPARTIANVS *) ait fundata ipsis esse, tum, cum SEVERVS, capta Ctesiphonte, in Aegyptum proficiscereturr, h. e A. fere CCII. Itaque non est credibile, cum multa ipsis iura concesserit, amplius quemquam prohibuisse ab aditu vel Hierosolymorum vel cuiusquam alius in Palaestina loci, nec dici potest exilium Iudaeorum vel TERTVLLIANI *aduersus Iudaeos* librum demum post illum annum exstitisse, sed antea magis. In qua sententia confirmari videor loco aliquo TERTVLL. *ex Apologetico* (c. 21. p. 10. D.) vbi praeter alia Iudaeis narrat, ne aduenarum quidem iure concedi, vt terram patriam saltem vestigio salutarent. Quod etiamsi falsum sit de vniuerso Palaestinae tractu, e quo non videntur Iudaei ne per HADRIANVN quidem eiecti, quod multis locis scriptorum veterum in primis docuit IO. MASSONVS **); tamen TERTVLL. ita oportuit existimasse in *Apologetico*, vnde ceteris, quae diximus, assumtis, eiusdem fere aetatis esse librum *aduersus Iudaeos* colligi quodam modo potest. Sed cum neque annus huius libri accurate possit definiri neque perspicuum sit: sensereritne iam tum TERTVLL. cum Montanistis? placuit etiam hunc librum iis adiungere, quorum nec aetas nec doctrina appareat; et collectis omnibus iis, quae

*) in vita SEVERI. c. 16.
**) in Collectaneis historicis ad opera Aristidis edit. a SAM. IEBBIO §. VI. n. 8.

quae hactenus propoſita ſunt, ita fere ordinem librorum TERTVLL. conſtituere:

Ante ſuſc. Montanism.	*In Montanismo*	Scorpiacen
de oratione	de corona.	aduerſus Valentin.
ad martyres	de virgin. veland.	adu. Marcion lib. I.
de ſpectaculis	de cultu feminar.	de praeſcr. haeretic.
de idololatria	de fuga in perſec.	I. II - IV. adu. Marc.
Apologeticum	de exhort. caſtit.	de carne Chriſti
libr. 2. ad nationes	de monogamia	de reſurrectione
de teſtim. animae	de jejuniis	liber. V. adu. Marc.
de baptismo	de pudicitia	de pallio
libr. 2. ad vxorem	aduerſ. Praxeam	(de patientia)
(aduerſus Iudaeos)	adu. Hermog.	ad Scapulam
	de anima	(de poenitentia).

§. XLVI.

Atque hic poſſemus finem facere disputationis noſtrae, neque enim cetera TERTVLLIANI ſcripta, quae vel perperam ſunt ipſi adſcripta, vel non exſtant, excutere nobis eſt propoſitum Sed in animum venit quaedam de actis illis SS. PERPETVAE FELICITATIS dicere, quae, ſunt, qui etiam TERTVLLIANO tribuerint. In quibus vnum illum GVIL. WHISTONVM impugnare placet, qui omnem operam dedit, vt haec acta TERTVLLIANO aſsereret *). Atque is SS illas martyres non quidem arbitratur e diſciplina Montaniſtarum fuiſſe, quod quibusdam placuit, veluti SAMVELI BASNAGIO **), ſed haec qui collegit, eum plane putat non Montaniſtam modo, ſed et TERTVLLIANVM fuiſſe.

*) in the ſacred hiſtory of the Jewiſh and Chriſtian Church. Part. II. Vol. 6. p. 477. 78.

**) in Annalib. Polit. Eccleſ. Tom. II. p. 224. ſq.

fuisse. Qua de re nobis sedet contraria sententia. Nam primum multa sunt in ipsis, quos PERPETVA reliquit, commentariis, quae haud dubie eam ostendunt e Montanistarum familia fuisse. Idque iam occupauit BASNAGIVS, sed nactus est, qui contra diceret, IOSEPHVM AVGVSTINVM ORSIVM qui, quamuis eum, qui acta ista collegit Montanistam existimet, tamen strenue, in defendenda recta harum martyrum fide laborat *); cuius argumenta memini mihi olim legenti istam rem non persuadere, sed plurima continere ab hac disputatione prorsus aliena. Sed nunc quidem non est ad manus; itaque vnum WHISTONVM persequamur. Ille: ne litteram quidem, quae Montanismum sapiat, ait, esse in his PERPETVAE et SATVRI commentariis, e quibus paene ista acta composita sunt; quod quam a veritate abhorreat, postea docebimus; deinde hoc vnum sufficere ad omnem litem componendam putat, quod TERTVLL. primus fuerit, qui errores Montanistarum in Africam tempore fere eo, quo supplicia ab his martyribus sumta sunt, induceret, quare cum vix in Africam haec scita fuissent delata, eo tempore non posse dici homines litterarum rudes longe remotos a Carthagine,

*) in diss. apologet. pro SS. PERPETVAE, FELICITATIS et sociorum martyrum orthodoxia, aduersus SAM. BASNAGIVM. Florent. 1728. 4to.

ne, quales isti fuerunt, iam istam disciplinam suscepisse. In quo sermone non vnus error reperitur. Primum hoc sumit sibi haud dubie, quod isti martyres mortem subierint Tuburbii, cuius vrbis scio mentionem iniectam esse in spuriis horum actorum exemplis, et est quoque eius nomen a WHISTONO expressum; sed et per meliora ἀπόγραφα et argumentis VALESII ac RVINARTI *) satis explosum. Quare si eos, vt illi viri docuerunt, Carthagine interemtos credamus, facile accipere hi notitiam errorum Montanistarum potuissent, cum TERTVLLIANVM Carthagine vixisse omnes norint. Vnde vero WHISTONVS docebit TERTVLL. primum fuisse, qui in Africa hos errores et tempore fere suppliciorum ab his martyribus sumtorum sparserit? Et si haec etiam dederim, quid obsecro incredibile est, errores a TERTVLL. in Africa disseminatos, quos ante annum CCV. iam scriptis defenderat (huic enim anno mortem SS. martyrum WHISTONVS adiunxit), perceptos ab his martyribus fuisse, in primis cum plurimi ad societatem MONTANI accedentes, expertes litterarum fuerint et ita horum martyrum similes. Ac multo magis abhorret id, quod nihil sit somniorum MONTANI commentariis ipsius PERPETVAE et SATVRI adspersum. Nam *primum* magna est suspicio humani sensus in ipsis speciebus his hominibus obiectis.

*) in not. ad acta martyr. p. 90. 91. Ed. Amstel.

ctis. Etenim PERPETVA non modo ſtatim cum baptismo ſe profitetur dotem futurorum praenunciandorum accepiſſe *); ſed ita etiam fidenter de ea dote loquitur, vt pro arbitrio futura praeſagire et vel ab ipſis inferni ſuppliciis mortuos liberare poſſet **). Quam poſtremam arrogantiam non excutiam nunc quidem, ſed vehementer tamen dubito, an temporibus iis, in quae aetas PER-

*) Acta Perpet. et Felicit. in RVINARTI Actis martyrum ſinceris. Ed. Amſt. p. 93 §. III. *In ipſo ſpatio paucorum dierum baptizati ſumus, mihi autem Spiritus dictauit: nihil aliud petendum in aqua, niſi ſufferentiam carnis.*

**) ibid. p. 94. §. IV: *Dixit mihi frater meus: Domina ſoror, iam in magna dignitate es, et tanta, vt poſtules viſionem, et oſtendatur tibi, an paſſio ſit, an commeatus?* (i. e. an futurum ſit, ut mortis periculum effugias? V. HOLSTENII not. ad h. l. ibid. p. 106. qui bene obſeruat locum TERTVLLIANI, in quo *ſorores a Domino* commemorat *dignationem* i. e. gratiam ſingularem,) *quotiescunque deſiderent, conſequi.*) Pergit illa: *Et ego, quae me ſciebam fabulari cum Domino, cuius beneficia tanta experta eram, fidenter repromiſi ei dicens: Craſtina die tibi renuntiabo.* — — Deinde (p. 96 § VII.) *profecta eſt ipſi vox et nominauit Dinocratem*, fratrem iam mortuum, *et cognouit ſe ſtatim dignam eſſe et pro eo petere debere.* — — *Continuo ipſa nocte oſtenſum eſt ei in oramate:* periclitari mortuum Dinocratem. Sed (§. VIII.) crebras *poſt preces intellexis translatum eſſe de poena.* Tantam vim ne preces quidem Apoſtolorum aut cuiusuis magni legati Dei vmquam legimus habuiſſe!

PERPETVAE incidit, h. e. saeculo P. C. N. secundo labenti, illa miraculorum facultas et quasi immanens virtus, quae Apostolis Ecclesiaeque Apostolicae data erat, recte tribui debeat? Cuius sententiae, vt breuitati locus detur, duas proponam rationes. Vna haec est, quod doceri nullo modo possit, quemquam, si ab Apostolis discesseris, vel accepisse talem facultatem, nisi manibus eorum sibi impositis, vel illam communicare iterum cum aliis potuisse; contra, qui in contraria partem disputari possint, plures sunt et satis illustres loci. PETRVM et IOANNEM Apostolos, vt hoc vtar, quare tandem a ceteris missos esse Samariam (Act. VIII, 14. sq.), quare manibus impositis virtutem efficiendorum miraculorum distribuisse nouis Christianis dicas, cum ipse iam PHILIPPVS Euangelista multis miraculis Samariae celebritatem esset consecutus; quare Christiani Ephesini (Act. XVIIII., 2. sq.), ad quos primus nunc PAVLLVS Apostolus accesserat, neque accepisse se spiritum S., neque etiam scire, quid hoc rei esset, potuissent dicere, nisi ita, quemadmodum dicebamus, fuisset? Quod si ita est, neminem affirmare audeo sub finem Saec. II. fuisse Christianorum, qui huiusmodi facultate splendesceret: neque enim tum, qui ab Apostolis eam potuissent accipere, in viuis versabantur. Altera ratio in loco Eph. IIII., 7. sq. continetur. Etenim cum

PAVL-

PAVLLVS multa superius disputasset, quibus iis etiam, qui adhuc fuerant cultum deorem secuti, eamdem cum Iudaeis partem vindicaret gratiamque diuinam, vt dissentientes inter Christianos Iudaeos ac gentiles in concordiam redigeret; postea animaduertens, facultates ad miracula multum ad alendam vtrorumque discordiam facere: et quod ipsae hae pro arbitrio Christi sapientissime singulis sint distributae, et quem finem habeant, et quod non exstiturae sint nisi ad certum tempus, perspicue confirmat. Quo in loco quin intelligendae sint non communes omnibus Christianis eaeque spirituales facultates, sed quorumdam Christianorum ad propria miracula producenda idoneae, nemo, opinor, dubitabit, qui vel haec cum iis contulerit, quae sunt ab Apostolo Rom. XII. 3-8. et ad 1. Cor. XII. seq. disputata. Atque illas addit PAVLLVS (v. 13.) datas esse μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως, καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τ῀ υἱ῀ τ῀ Θε῀, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τ῀ πληρώματος τ῀ Χριστ῀ κ. τ. λ; vnde efficitur, eo tempore exstinctas has facultates fuisse, quo cum ii, qui e Iudaeis, tum qui e gentilibus Christiani facti erant, (οἱ πάντες) *) in iisdem rebus credendis agnos-

cen-

*) Illud οἱ πάντες non omnes in vniuersum Christianos significare, sed referri debere ad utrosque, Iudaeos et Gentiles inter Christianos,

cendoque vno illo filio Dei consensisset, et vniuersa ex vtrisque collecta societas Christianorum (quae hic, ducta a tabernaculo Mosaico, repleto illo diuino splendore, similitudine, πληρωμα τῦ Χριστῦ coll. c I., 22. 23. dicitur) ad virilem quasi aetatem perducta, non se iactandam amplius fraudibus doctorum Ἰουδαιζόντων permitteret. Sed istud tempus non ita multo post Apostolorum omnium obitum, aut sub mediam fere Saec. II. partem exstitisse suspicor. Etenim vt HADRIANVS Iudaeis Hierosolyma cultumque ibi

nos, non modo res ipsa docet, cum veras adhucdum inter nos facultates ad miracula exstare nemo, qui sapit, dicat, sed multa etiam alia planissime confirmant. Nam in vniuersa hac epistola Apostolus erroribus eorum inter Christianos se opposuerat haud dubie, qui non nisi legis Mosaicae cultoribus gratiam Dei asseruerant, eamque ob caussam litem mouerant aduersus eos, qui e gentilibus ad Christum accesserant: quare vtrisque PAVLLVS vtilitatem e Christi societate capiendam vindicat. Vid. e. c. cap. II. 14. sq. Deinde PAVLLVS nomine νηπίων, quod hic est vers. 14, in primis notat eos, qui legis Mosaicae aequo tenaciores, nullam nisi eamdem necessitatem eius obseruandae agnoscentibus esse salutem, opinabantur, Cf. Gal. IV. 3. sq. Denique locus nostri plane similis Colos. II., 2. 23. de nimio doctorum Ἰουδαϊζόντων etiam aduersus ipsum Christi summum imperium, studio ipsam etiam hanc rem satis ponit supra dubitationem, vt pluribus haec docere, non necesse videatur.

ibi publice celebrandum interdixerat, Christianos, quorum animi adhuc ad Iudaeorum religionem fuerant inclinati, paucis exceptis, SVLPITIVS SEVERVS *), et hunc errorem abiecisse, refert, et MARCVM e gentilibus Episcopum Hierosolymitanum creasse, quorum haud dubie exemplum ceteri eiusdem generis imitati fuere, neque enim post haec disruptam Christianorum societatem pristinis de obseruanda lege Mosaica dissidiis vmquam deprehendimus. Nam etsi quis obuerterit Cerinthianorum, Ebionitarum, Nazaraeorum et Elcesaitarum familias, tamen, qui his, transacta priori Saec. II. parte, se adiungerent, paucissimi fuere, neque existere vllo tempore tanta Christianorum concordia potest, vt nulli sint prorsus, qui dissensum a ceteris profiteantur.

§. XLVII.

Est *porro*, quae magnam moueat suspicionem Montanismi PERPETVAE visio ea, e qua se illa fatetur instantem sibi violentam mortem intellexisse (Sect. IV.). Nempe illi in visione offertur a quodam Pastore buccella casei, edit illa, et qui adstant vniuersi. *Amen* dicunt. Quid hoc est? Nempe significatio necis violentae. Quomodo hoc sequitur: casei particula? et *Amen?* et violentum mortis genus? Mihi, si quid video, non videntur ea coniuncta aliquo modo, nisi

*) in Histor. Sacra lib. II. c. 31.

nisi hanc e Montanistarum familia virginem fuisse dicam, quippe quos, aliquos certe, EPIPHANIVS (haer. XLIX. §. 2.) aliique dicunt in sacra coena, (in agapis forte volebant dicere homines non nimis accurati) caseum adhibuisse. Iam vero vsu venerat inter Christianos vt qui adessent ex multitudine *Amen* adderent in sacro epulo, id quod constat e IVSTINO MARTYRE *), et distribui solebat etiam illud in carcere iis, qui morti erant destinati. Omnia igitur perspicua sunt, si ista virgo e MONTANI disciplina fuisse putatur; si negatur, explicari nullo modo, vt mihi videtur, possunt **).

§. XLVIII.

*) in Apolog. mai. c. 85. et 87. Ed. Grabii p. 125. 131. 132.

**) Sunt quae ex hac PERPETVAE fabula occurrunt non sine magna ratione aduersus ea, quae dixi, disputanda, et adhibita etiam multo cum ingenio a laudatissimo historiae Montanistarum scriptore, THEOPH. WERNSDORFIO §. XVIII., quibus breuiter placet et modeste respondere. Atque mihi non contemnenda omnino videntur, quae veterum nonnulli de adhibito a Montanistis in sacris epulis caseo tradunt, vnde nomen *Artotyritarum* traxerunt. Nam etiamsi illud inepte de modo sacrae coenae apud eos dicatur, longeque illud praeclarius etiam a viro docto ad agapas Montanistarum et oblationes referatur; nostra tamen causa nihil postulat magis, nisi vt vsus casei his eorum agapis vindicetur. Quod fieri facile potest non modo propterea, quod nulla alia reddi ratio potest orginis tam ridiculae cul-

pae

§. XLVIII.

Sed ad alterum veniamus, quod est in eo positum: fueritne is, qui haec acta collegit, vel scriptor e Montanistarum secta, vel idem ipse TERTVLLIANVS; quod utrumque WHISTONO placet, recte quidem, si de illo quaeritur; si de ipso TERTVLLIANO, longe secus. Illud igitur superius plane WHISTONO

pae atque cognominis, sed quod etiam constat, Montanistas Xerophagiarum studiosissimos fuisse, vnde nec lauta fuisse eorum sacra conuiuia facile intelligitur; eoque cibo tenui, qualis caseus erat, PERPETVAM quoque ceterosque martyres in carcere etiam, cum veluti agapas haberent, vsos fuisse, non magis dubitabit, qui, quam miserabilis sors eorum in vinculis fuerit, ex actis illis didicerit. Sed quod illam rem adhibuerimus ad efficiendum horum martyrum, inprimis PERPETVAE, Montanismum, conuelli videtur iis, quae vir doctiss. l. c. attulit: primum AVGVSTINI ac TERTVLLIANI auctoritate, quorum alter illam PERPETVAE visionem laudauit, alter non commemorauit in lib. *de anima*. Quorum neutrum, opinor, admirationem habet. TERTVLLIANVS enim, dubitari potest, num hanc ipsam, de qua quaeritur, visionem significaverit; cum a PERPETVA non nisi martyres in paradiso visos fuisse dicat, cuius rei quis forte mentionem in nostra visione desiderabit; neque is ad causam suam, quae vnice in asserenda solis martyribus ante vltimum iudicii diem perfecta felicitate versatur, apte congruenterque a PERPETVA sumtum caseum commemoraturus fuisset. AVGVSTI-

STONO assentior propterea, quod et ille scriptor, (in praefatione) *prophetias*, ait, *se et visiones nouas agnoscere et honorare*, — — vnde se et fatetur, *noua haec documenta martyrum et reuelationum adjecisse*, seque (sect. 26.) *quoniam permiserit, et permittendo voluerit spiritus S. ordinem istius muneris*, (h. e. pugnam martyrum cum bestiis in theatro) *conscribi*, haec composuisse jactitat; quod haud scio an non alium quam Montanisticum scriptorem prodat, hanc prae-

GVSTINVM vero, qui in laudibus PERPETVAE totus est, alioque modo traditam illi casei bucellam interpretatur, eum vero quis hanc rem tamen laudasse mirabitur? Sed alterum grauius est; AVGVSTINVS illam casei bucellam signum putat fuisse *dulcedinis felicitatis* PERPETVAE, istamque interpretationem persuasit Viro Cl. qui omnem illam significationem mortis violentae quaerere videtur in scala illa spinis, gladiis, aliisque munita, per quam ascendendum PERPETVAE erat; caseus vero cur adhibitus sit ad sempiternam felicitatem adumbrandam, rationem dicit in lege persequendae metaphorae, ductae ab imagine Pastoris, fuisse. At ego, si nulla alia, nisi haec, fuisset sumtionis casei significatio, quaererem quid esset, quod PERPETVAE caseus a Pastore mulgente fuisset oblatus, non aliquid potius lactis, quod esset ad felicitatem caelestis Canaanis, melle quasi et lacte fluentis, adumbrandam multo accommodatius? Deinde dicat mihi quis, quare PERPETVA hoc commemoret obiectum menti suae,

praecipue ob causam, quod Orthothoxi non solebant magni aestimare Montanistarum martyres, et ita multo minus, vt supplicia ipsorum atque constantiam, etiam cum visionibus, quas contemnebant profecto, in litteras referrent. At, quod est caput huius disputationis, TERTVLLIANVM eum ipsum scriptorem fuisse, non dabo WHISTONI argumentis, quae sunt ab eo latius proposita hoc modo: *Primum* haec acta sunt, vt praefatio docet, non ita multo post ipsum hoc factum composita; *deinde*, exarata latine; *tum*, ab homine Africano, cuius rei est non leue in horrido Afrorum dicendi genere

suae, quod istam *casei bucellam acceperit iunctis manibus* (ex more in coena sacra apud veteres Christianos recepto) et *vniuersi circumstantes:* Amen! *dixerint*, cuius quod rationem dare possit quisquam dubito, nisi quis causae nostrae faueat. Denique si ista casei sumtio aliquid in regno caelesti PERPETVAE euenturum significat, et coenam forte adumbrat agni, descriptam in Apocalypsi IOANNIS, ex qua fere omnes sunt istae visiones in Actis laudatis desumtae, Montanistam si dixeris PERPETVAM, multo faciliorem habet cogitationem, quam ob rem ad hoc significandum casei buccella tradita illi fuerit, cum caseo, vti diximus, Montanistae in Agapis vterentur; at si illum caseum non aliquid caeleste dicis respicere, sed coniunctum quidvis aliud cum morte violenta PERPETVAE, explicari istud visum e coena libera potest, quam acta illa (sect. XVII.) referunt martyres, pridie quam supplicia sustinerent, tamquam agapen sumsisse.

nere hic adhibito documentum; *itemque* multa adiunt verba familiaria illa quidem TERTVLLIANO (quod pluribus exemplis probant Holstenianae ad haec acta notae); *postremo*, scriptor fuit haud dubie e schola MONTANI, quam primus hoc fere, quo isti martyres interemti sunt, tempore TERTVLLIANVS in Africa propagnauit; necesse est igitur TERTVLLIANI etiam haec acta esse. Quae omnia nihil, si quid video, docent, nisi TERTVLIANVM esse posse eum, cui collecti hi commentarii debeantur; at eum istos etiam condidisse, illud WHISTONVS non est istis argumentis assecutus. Et sunt profecto in his, quae cum ficta sint ad libidinem, vel plus efficiant, quam velit, nihil efficiant. Nam et illud commenticium est, vti diximus, TERTVLLIANVM primum Montanismi in Africa disseminati fuisse auctorem et verba TERTVLLIANI cum his actis communia, non sunt ex eius quidem proprio dicendi genere, sed ex Africano. Etenim si plura verba, quae sunt in TERTVLLIANI consuetudine loquendi, ostenderent, ipsum TERTVLLIANVM tale scriptum composuisse, certe necesse esset, vt etiam ipsius PERPETVAE SATVRQVE commentarios diceremus non ab ipsis sed a TERTVLLIANO fuisse compositos; multa enim sunt, vt Holstenianae obseruationes docent, vocabula in illis ipsis commentariis, quae in TERTVLLIANI etiam scriptis reperias. Atque occurri etiam suspicio-

nibus Whistonianis potest argumentis contrariis. Nam in libro *de anima* (c. 55.) TERTVLLIANVS quamdam PERPETVAE visionem in his actis narratam commemorat affertque ad comprobandam aliquam doctrinam, sed ne verbum est quidem ibi, quo se scriptorem horum actorum significaret quod haud dubito, quin, vti solet, facturus fuisset, si ipse scriptor huius historiae exstitisset. Deinde nihil, vt mihi videtur, quemquam oportet scripta TERTVLLIANI modumque dicendi cognouisse, qui dicere ausit, genus dicendi illud, quod est in fine horum commentariorum, simile esse eius, quod aliis in scriptis TERTVLLIANI deprehenditur. Itaque eximenda sunt ista acta e libris TERTVLLIANI, nec necesse est igitur, de ipsa eorum aetate disputare.

§. L.

Atque, dum nos finem scribendi facimus, non dubitamus fore, quibus omnis haec opera, disputandis his rebus impensa, leuis maleque collocata videatur. Sunt enim, qui vel contemnendam putent omnem disputationem, quae versatur in rebus parum certis et exsanguibus quodam modo, vel eas res, quarum vsus se non prima quasi fronte offert, sed perreconditus est, omni vtilitate destitutas pronuncient Quibus occurrere possemus magnorum virorum exemplis, quibus, in hoc genere disputationum versa-

versari, turpe non fuit visum, et praeclaris Vener. ERNESTII verbis, qui profecto, si quis alius, scit, quantum sit pretium cuiuis disciplinae statuendum, atque (in *prolus de vsu chalcographiae* p. 5.) de singulis artibus ita iudicandum censet, *vt earum dignitatem et praestantiam, non tam vtilitatis magnitudine et necessitate, quam inueniendi exercendique difficultate metiamur, neque quantum quaeque prosit, sed, quanti quaeque sit, ponderemus; nisi vero, quia magis et necessarium est et vile, panes pinsi, quam taculas pingi, propterea pistorum opificium arti pictoriae praeferendum putemus.* Atque ego in enucleandis rebus subobscuris multo rectius industriam ponendam esse arbitror quam in peruagatis aliis, quamuis eae quidem magis videantur ad vsum communem accommodatae; cum in his parum vel nihil sit, quod effugerit multorum diligentiam, in illis semper sit, quod disputari amplius possit. In rebus vero iis, quae non certae sunt, sed probabiliter constituendae, longe maior est ad impetrandam intelligendi scribendique facultatem vsus quam in certis et quasi necesseriis; propterea, quod illae multas habent veluti formas, et cogitari ac disputari in vtramque partem possunt, quod magnam habere vim ad impetrandam ipsam intelligendi subtilitatem, dudum est rectissimeque a veteribus traditum. Sed quid ego vniuersa conquiram, cum et

operam dederim, vt ipsi causſae, quantum fieri poterat, aliena nec tamen a propoſita nimis ſeiuncta interponerem, quibus aliquantum ſatietati ſimilium rerum mederer, et vti liceat exemplis, quibus declaretur, ea quae dedimus, quamquam leuiora forte, tamen eſſe neceſſaria, ſi quis maioris momenti locos velit ex hiſtoria ſacra excutere. In quibus ponendis non is ego ſum, qui velim viros doctos reprehendere, ſed pauca, quae non multum quaerenti occurrunt, afferam, vt vſus tamen huius diſputationis quodam modo intelligatur. Disputant, vt ab hoc ordiar viri docti, quid cauſſae fuerit, vt ſe Montaniſtis TERTVLLIANVS adiungeret, in quibus multi audiendum HIERONYMVM putant, qui odio doctorum Eccleſiae Romanae ait incenſum eum vale dixiſſe communi Eccleſiae; quod, vt alia praeteream, vix eſt credibile propterea, quod magnis laudibus Romanam Eccleſiam in libro de *praeſcript*, Montaniſtico illo, vti diximus, perſequitur (c. 36.); nec in eo *aduerſus Praxeam* (c. 1.), vbi vehementer eum, adulterantem illam Eccleſiam erroribus, inſectatur, quidquam contumeliarum in ipſam hanc Eccleſiam eiusue Epiſcopum proiicit. In hiſtoria deinde Montaniſtarum quot euitari peccata, quot argumenta emendari potuiſſent, ſi qui ante defectionem TERTVLL., quique poſtea, libri ſcripti fuerint, accuratius fuiſſet conſtitutum? Sunt, vt hoc vtar,

vtar, qui in flagitiis Montani ridiculum et muliebre oculos capillos aliaque ornandi ſtudium poſuere, ducti rebus iis, quas APOLLONIVS (apud EVSEB. H. E. V. 18.) memoriae prodidit; cuius verba, ſi quid video, hanc rem nullo modo confirmant, eſtque ab omnibus in eo peccatum, quod *prophetam* ibi commemoratum MONTANVM eſſe crediderint. cum APOLLONII verba de vitiis vniuerſe intelligenda ſint, quae a vatibus, quorum multos Montaniſtae iactabant, abeſſe deberent Sed poteſt illa calumnia etiam retundi ſeuerioribus illis TERTVLLIANI in libris *de virg. vel. cultuque femin* dictis aduerſus nimium muliebris elegantiae ſtudium Porro EPIPHANIVS (haer. XLVIIII. Sect. 14. Montaniſtas dicit inter orandum manum ori admouiſſe, vnde *Taſcodrugorum* nomen meruiſſent; quam culpam WERNSDORFFIVS V. Cl. (l. c. §. 21.) confutare vult loco quodam TERTVLL. e libro *de orat.* c. 13. vbi non eſſe modeſtiae, ait, manus inter preces ſublimius efferre: qui locus e libro, a TERTVLL. recte adhuc ſentiente conſcripto, nullam vim ad depellendam culpam habet, vt non dicam EPIPHANIVM hoc non niſi de quibusdam Montaniſtis referre. Praeterea diſputationes TILLEMONTII aliorumque de calamitatibus Chriſtianorum ſub SEVERO, quam confuſae ſunt eae, omnesque earum loci quam perturbate ac praepoſtero ordine poſiti, hanc vnam ob cauſſam; quod qui flagrante

grante priore, imperante SEVERO, vexatione, cum eadem cum Orthodoxis sentiret TERTVLLIANVS, quique sub posteriore, cum ab iis se seiunxisset, scripti sint, libros non recte distinxerit. Denique nihil est disputatione nostra efficacius ad conuellenda WHISTONI somnia, quae in libro superius citato (*the true origin of the Sabellian and Athanasian doctrines of the Trinity* (Lond. 1720. 8vo.) proposuit, in quo Sabellianorum et, vt eos vocat, Athanasianorum de sanctissima Triade scita inuenta per SIMONEM *Magum* ac per Montanistas resuscitata fingit, atque propterea TERTVLLIANI ea in re sententiam triplicem fuisse conatur docere e triplici librorum genere, qui essent ab eo exarati, cum vel recte sensisset, vel inc inassat ad MONTANI errores, vel imbutus iis omnino fuisset. Vbi in quouis librorum genere tales libros refert, qui plane alii librorum generi a nobis asserti fuere, quo ipso omnis Whistoniana disputatio ad nihilum redigitur. Sed est tandem aliquando desinendum, ne nimii in his rebus videamur: et committendus noster libellus doctorum hominum iudicio, quod tanto magis aequum rogamus nobis, quo magis vel ipsa rerum disputatarum natura, vel, quibus oppressi in iis proponendis fuimus, labores alii effecerunt, vt non potuerimus accuratiora tradere.

DISSER

II.

Dissertatio saecularis,
admiranda singularis providentiae divinae
vestigia in vindicanda
per pacem Passavienſem A. 1552.
et Augustanam A. 1555.
Sacrorum Evangelicorum libertate
exponens:

Praeside
Dr. Sigm. Iac. Baumgarten
et auctore
Io. Aug. Noesselt.

Halae,
die 25. Sept. 1755.

PRAEFATIO.

Cogitanti mihi saepenumero, quid sit, quod ea Dei beneficia, quae et tribuuntur plurimis, et rebus maximis occupantur, non magna plerumque existimatione suspiciantur ab hominibus, cum multae huius rei occurrebant rationes, tum ea videbatur maxima, quod, quantus eorum valor sit, et inde redundans emolumentum, parum aut nihil homines meditari soleant. Communi hac in re omnium iudicio, non ex scripta aliqua sed nata lege, conuenit, tanto maiori applausu excipienda esse Dei beneficia, quanto cum felicitate nostra propius coniuncta sunt, atque quo plurium inseruiunt vtilitati; multaque maiori veneratione prosequenda esse, quam populari inter homines consuetudine receptum est. Maximum igitur iis, quae non aliquos modo mortalium, sed omnes, non terrena bona, sed summum Dei donum, Religionem, spectant, beneficiis statuendum esse pretium, qui inficiaretur, nisi omnem cum ratione sapientiam eiurauerit, fore arbitror neminem. Liberari ab erroribus eaque in

cogi-

cogitando seruitudine, quibus plurima pars mortalium fati, nescio cuius, inclementia, premitur; mente vti serena, Deique verbum tanquam ducem sequi et vitae beatae magistrum; fidem suam coram omnibus animo intrepido profiteri, omnibusque violentiae legibus solutum puras propagare posse doctrinas, haec demum beneficia sunt, quae, obliuioni tradita, imbecillum ingenium produnt, animumque omni prorsus pietate destitutum. Quod quo turpius sit, planeque, non dicam a Christiano, sed ab homine quouis sapiente remotum esse debeat, eo magis id nobis datum esse negotii existimandum est, vt, quae in largiendis his bonis se ostendit, eximiam Dei bonitatem mirabilemque sapientiam pia mente recolentes, identidem renouemus diuinorum beneficiorum monumenta. Bene igitur et sapienter decreuerunt maiores, vt, si qua singularis beneficii, diuinae ciuitati concessi, memoria recurreret, eo quidem tempore singulari etiam pietate, signisque grati animi eminentioribus celebraretur. Egregia haec sunt, candidaeque pietati conuenientissima, sed fit plerumque, hominum, incertum, ignorantia, an fastidio aliquo et leuitate, vt vel de restauranda horum beneficiorum memoria, vel de iis, quae promouendae huic religioni inseruire possunt, parum soliciti reperiantur. Cui malo, si quis, laudabili excitatus industria, medicinam

nam afferre voluerit, neque tamen de singularibus diuinae prouidentiae circa eiusmodi beneficia vestigiis, e tenebris quasi, quibus inuoluuntur, protrahendis, iisque, quae vel abdita in illis sunt, vel oblitterata propemodum, illuminandis cogitauerit, fine spe finis obtinendi moratur in scopulo.

Inter ea, quae Deus Christianorum coetui concessit, eminet sine dubio emendatae per LVTHERVM Religionis beneficium. Quanta enim felicitas existimanda est, quod, discussa diuturna illa barbariei caligine, et dissipatis errorum opinionumque praeiudicatarum nebulis, sol Euangelii splendide emerserit, expulsisque nocturnis silentiis, incundissimos luminis sui radios vsquequaque disseminauerit. Excitarat diuina prouidentia LVTHERVM, vt veram religionem, deterso pristino squalore, quo variis variorum commentis foedata erat, dignitati suae decorique restitueret Sed tanta erat vis inuidiae turpissimorumque inter homines errorum, qui solis orientis cursum retardabant, vt, quidquid apud ipsos lucis internitebat, effusa caligine exstinguere, nocteque titubare mallent, quam amabili solis calore recreari. Ipse vero Deus, tenebris procul faceſſere iussis, soli laboranti succurrens, pace religionis constituta, diem quasi nobis restituit. Huius diuini operis cum singulae partes summa admiratione dignae sint, ita, quantum dies crepusculum, sic

ista

ista pax, quae toti operi colophonem imposuit, ipsam Ecclesiae emendationem mirum quantum superasse videtur.

Redeunt iam isti dies felicissimo sidere, in quibus ante hos ducentos annos, pacem religioni nostrae datam, inaestimabile illud caeli depositum, primum parentes nostri deosculati sunt. Nostrum igitur est, non summis modo diuinum hoc beneficium celebrare laudibus, sed omnia etiam media, ad excitandos aliquantisper fidei nostrae socios, quasi et latibulis suis exturbare: inprimis cum in ea tempora nostra aetas incidisse videatur, in quibus nostram, ereptam perniciei faucibus, Ecclesiam iniquius lacessere, dissipare dissidiis, vaferrimisque artificiis in eam detrudere colluuiem conentur officiosi Pontificis satellites, ex qua vix diuina gratia auxiliante emersit.

Ego vero quem indulgentissimus Deus natum educatumque ea in Ecclesia voluit, quae LVTHERI ministerio eandem cum Ecclesia, ab ipso Iesu Christo fundata, formam recepit, non inaniter collocaturum esse operam putaui, si laborum meorum, quos Ecclesiae sacros esse cupio, primitias erigendo huius pacis monumento consecrarem, atque singularis, quae in ipsa enituit, diuinae prouidentiae vestigia, rudiori licet penicillo, delinearem. Frustra, fateor, quaerent, qui sublimem sapientiam sectantur, aut quibus sordent omnia, quae abstru-

ſtruſioribus quaeſtionibus rebusque ex intimis naturae penetralibus petitis non occupantur, aut, qui nihil, quod non vaſta profundaque eruditione ſplendeſcat, dignum ſua contemplatione exiſtimant. Obſeruatores enim ſumus, non inuentores Ea autem, quae in probatis hiſtoriarum monumentis, tanquam diuinae prouidentiae annalibus, deprehenduntur, diligenter excurere; haec, quanam ratione contexta colligataque fuerint accurate diſpicere; ex iis poſtea, quantum quisque euentus ad producendum alterum, quantum ad efficiendos Dei fines fecerit, iudicare, hoc vero et noſtra diligentia dignum eſt, et ſollerti rerum diuinarum ſpeculatori ſufficit. Mihi igitur, diuinae prouidentiae in comparanda nobis religionis pace veſtigia indaganti, in maximo lucro ponendum eſſe videtur, ſi non tam diſerti aut eruditiſſimi, quam grati piique hominis munere defungar. Reliqua vero, quae in hac ipſa disquiſitione deeſſe nonnullis videbuntur, ſincerum diuinam gloriam efferendi, eumdemque, quem apud me, hunc apud meos etiam beneficiorum diuinorum ſenſum excitandi ſtudium largiter compenſaturum eſſe confido.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Post bellum Smalcaldicum Carolus V. nimia in captiuos principes acerbitate vsus est, §. I.

Formulam Augustanam Protestantibus obtrudere voluit, §. II.

Ipsosque ad subiiciendum se concilio Tridentino adigere, quamuis nulla salus ab hoc exspectanda esset, §. III.

Candestinis vero consiliis et ipsum Pontificem et Protestantes labefactare studuit. §. IIII.

Quibus omnibus animos Lutheranorum concitauit; ex quibus Mauricius Septemuir, ipsum armis aggressus, ad transactionem Passauiensem commouet. §. V.

Variae caussae, quae Caesarem ad pacem religionis Euangelicis concedendam praepararunt, cuius argumentum enarratur. §. VI.

Huius praestantia. Duplex circa miracula, in emendatione Ecclesiae procuranda, quorundam aduersariorum error. §. VII.

Confutatur, et, quid sibi velint singularis prouidentiae diuinae vestigia, ostenditur. §. VIII.

Demonstranda ad tria capita reuocantur. §. VIIII.

Vestigia singularis prouidentiae primo *in iis, quae vtramque pacem praecesserunt; et quidem 1) Passauiensem. Maximae vires foederatorum Smalcaldicorum a Caesare debiliori prostratae, et post hoc bellum desperata Euangelicorum caussa.* §. X.

Vnde ineptum videbatur, si quid contra Caesarem tentare volebant, in specie ex parte Mauritii, §. XI.

Praesertim, si ipsorum vires cum eximia Caesaris potentia comparantur. §. XII.

Quod assertum, obiiciendo foedus eorum cum exteris quibusdam principibus, labefactari non potest. §. XIII.

Inte-

Interim Mauritius bellum aduersus Caesarem decernit, ad quod ipse Caesar securitate sua et naeuo quodam politico ipsi arma suppeditat. §. XIV.

In hoc bello Caesar singulare ius talionis diuinae expertus est, §. XV.

Et felix armorum Mauritii successus atque Caesaris Ferdinandique de pace consilia singularem Dei prouidentiam ostenderunt. §. XVI.

Quae etiam 2) paci religionis Augustanae procurandae prospexit. §. XVII.

Et quidem in eo, quod, licet intestinis cum Alberto Culmbacensi dissidiis, societas Euangelicorum rumperetur, (quibus tamen abstinentiam suam declararunt) §. XVIII.

Atque illi morte Mauritii percellerentur, §. XIX

Omnique exterorum auxilio destituti essent; §. XX.

Tamen nullam cum Reformatis iniuerint societatem, paci autem summa constantia institerint. §. XXI.

At quam Euangelicis procurandam Ferdinandi indoles et conditio aptissima erat, §. XXII.

Quamque ipsi Pontifices, maxime Paullus IV, promouerunt. §. XXIII.

Deinde *se haec singularis prouidentia ostendit in remouendis difficultatibus, quae ex ipsa huius pacis indole nascebantur*, §. XXIV.

Inprimis ex reseruato Ecclesiastico, §. XXV.

Atque ex Pauli IV. arroganti et impotentissima contradictione. §. XXVI.

Denique *ex egregiis effectibus cognosci potest, quia haec pax salutem reipublicae et Ecclesiae restituit.* §. XXVII.

Reipublicae; *praeiudicium illud eo tempore vbiuis fere receptum: pacem ciuilem cum sacrorum diuersitate constare non posse, d struendo*, §. XXVIII.

Nosque ab imperio Pontificis, summoque magistratui ius circa sacra vindicando. §. XXIX.

Ecclesiae; tum *doctrinarum eius puritatem conseruando*, §. XXX.

Tum *etiam nobis posteritatem concedendo, has doctrinas ad alios propagandi.* §. XXXI.

Vnde coacti sunt ipsi Pontificii, cum arma non valerent amplius, argumentis pugnare, eaque de caussa ipsam magis scripturam scrutari. § XXXII.

Dissertationis peroratio. §. XXXIII.

§. I.

§. I.

Ea erat, post traditam Augustae CAROLO V. Imperatori confessionem, illorum facies, qui emendatam religionem, praeeunte LVTHERO, tuebantur, vt neque liberum, quod postulabant, concilium, neque precibus et repetita saepius animi integerrimi declaratione, perfectam, ad solum dei verbum religionem instruendi, veniam vmquam se impetraturos esse praeuiderent. Minae potius Caesaris, qui edicto Wormatiensi insistebat, summa Pontificis Romani pertinacia, et quos hinc inde aduersarii moliebantur, belli apparatus, *Protestantes*, vt suae prospicerent securitati, mouebant. Quo factum est, vt, foedere Smalcaldiae inito, firmatis ad constantiam animis, plurimi, qui publice caussam Dei aduersus Pontificis impietatem defendendam susceperant, arctissimo mutuae defensionis vinculo se coniungerent. Quamuis enim A. MDXXXII. ab Imperatore tum Suinofurti, tum inprimis Noribergae inducias impetrassent, non tamen pacis tempore omne de bello, non mouendo quidem, sed declinando reprimendo.

mendoque consilium abiiciendum esse putarunt. Neque male suspicati sunt. Quum enim, irrito semper conatu, lites de religione ortas Caesar componere allaborasset, tandem, honesta quadam belli, quod meditabatur, reperta caussa, in comitiis Ratisbonensibus A MDXLVI celebratis, IOANNEM FRIDERICVM Saxoniae Septemuirum et PHILIPPVM Hassiae principem, in quorum auctoritate tota Lutheranorum vis nitebatur, proscripsit, proscriptorumque alterum, Saxonem, cum prope Muhlbergam ad arma venisset, fusis copiis, cepit alterum vero PHILIPPVM, cui, fide publice data, veniam belli dederat, dolo delusum in custodiam tradidit. Fractas iam esse omnes *Protestantium* vires Imperator censebat, sed effecit, nescio quo fato, vt illud ipsum, quod omni controuersiae finem imponere videbatur, ipsi maximas grauissimasque turbas concitaret. Contra captiuos enim principes, dici vix potest, quanta acerbitate vsus sit. Namque, insignium domus Saxonicae de se meritorum prorsus immemor, non modo capitis Septemuirum damnabat *), sed neque innocentia ipsius, et mira-

*) Sententia damnatoria legitur apud HORTLEDERVM in vasto illo opere, quod inscriptum est: Der Römischen Kaiser, und Königlichen Majestäten, auch des heiligen Römischen Reichs Stände Handlungen und Ausschreiben von

mirabili ipsis in vinculis constantia, adeo commouebatur, vt dimississet ipsum aut tractasset leniùs, vt ab ipso potius durissimas pacis conditiones extorqueret, quibus Septemuir, praeter alia multa, omni vindictae et Septemuiratui, vmquam cum posteris suis recuperando, renunciabat *). Neque vero hoc solum fecit imperator, sed etiam, inuitis licet et reluctantibus multis Germaniae proceribus, per integrum lustrum, vbique captiuum secum, tamquam in triumpho, duxit. In PHILIPPO autem decipiendo, sicuti fraudulentia vsus erat, tantum Imperatorem prorsus dedecente, ita non minori in ipsum seueritate vtebatur Non eo contentus quod, fide fracta, turpiter deceptum in custodia teneret, grauissimo ipsum etiam carcere mulctabat **); et, neque coniugis infantumque PHILIPPI lacrymis, neque crebrioribus multorum maximorumque Europae principum precibus adducebatur, vt ipsum dimississet e vinculis ***); quin

Rechtmäßigkeit, Anfang, Fort- und endlichen Ausgang des Teutschen Kriegs ꝛc. Vol. II. lib. III. cap. 70. pag. 575. 76.

*) Huius transactionis verum atque integrum exemplum itidem HORDLEDERUS. l. c. Cap. 72. p. 582. seqq. exhibet.

**) Vide THVANUM *Historiaram sui temporis* lib. IV. Edit. Paris. 1606. fol. p. III.

***) Lamentabiles legatorum MAVRITII et IOACHIMI querelas, quibus fraudem et acerbitatem Caesaris in PHILIPPVM exposuerunt refert,

quin potius MAVRITIVM PHILIPPI generum, et IOACHIMVM Brandenburgicum, principes optimos, quorum amicitiae, ob egregia de Caesaris salute merita, parcendum fuisset, quique fide sua interposita, PHILIPPO, vt Caesari se subiiceret, persuaserant, vana spe detinuit. Quo ipso effecit, vt illi, quem precibus non poterant, armis liberare constituerent *).

§. II.

Quemadmodum vero quorundam interitu non statim occidunt, qui eadem moliuntur; ita parum sibi captiuitate duorum cohortis Lutheranae principum sibi prospexisse Caesar intelligebat, nisi de medio cogitaret, quo eos, qui emendandam esse religionis formam perpetuo clamabant, cum grege Pontificem sequente conciliaret. Ad quod obtinendum in comitiis A. MDXLVIII. Augustae Vindelicorum habitis ambiguam quandam religionis formulam confici curabat, ita conceptam, vt neutri parti displicere,

refert SLEIDANVS *Commentariorum de statu religionis et reipublicae*, CAROLO V. *Caesare* libro XXIII. p. 670. seq. Edit. Erf. 1610, qui eorum quoque nomina recitat, qui pro Philippo intercesserunt pag. 673. 74.

*) Ipse MAVRITIVS hoc inter caussas refert, cur Caesari bellum indixerit, in litteris ad Germaniae Proceres apud SLEIDANVM obuiis libr. XXIV. p. 695. 96.

re, sed aeque ab his, qui Augustanae Confessioni addicti erant, quam ab illis, qui in Pontificis verba iurauerant, admitti et in vtramque partem explicari posset. Ad cuius normam quoniam omnis religio et cultus dei publicus, Caesare iubente, dirigendus erat, dum in Concilio lites componerentur, nomen INTERIM sortita est. Hanc cum probassent quidam, qui inconsulte pacem veritati praeferebant, principes *), ceteris, qui recipere illam nolebant, minis ipsaque vi Caesar obtrudere incipiebat. Ita, quae pacis restaurandae gratia elaborata erat formula, multas vtrinque contentiones peperit. Quamuis enim armis recipiendam hanc formulam quibusdam imperii ciuitatibus persuaderet, neque tamen Pontificis gratiam merabatur, neque, vt ad eam se componeret, plurimi, qui superiorem Germaniae partem incolebant, omnino adduci poterant **). Procreabat quidem haec formula aliam haud absimilis argumenti, quae *Lipsiense* INTERIM appellatur ***), in qua incommodis quibusdam et dubiae interpretationis

*) SLEIDANVS lib. XX. p. 579. 81.

**) Copiosius haec enarrauit SALIGIVS in *Historia Augustanae Confessionis* germanice exarata, qui de violentia, qua Caesar quibusdam ciuitatibus *Interim* obtrusit Vol. I. p. 583. seqq., deque iis, qui formulam non receperunt, p. 605—609, et quo animo Pontifex ipsam considerauerit p. 577. seq. exponit.

***) Huius historiam delineatam vide apud SALIGIVM, l. c. libro III. cap. V.

terpretationis locutionibus Caesari verba dare studebant Misniae doctores, amore pacis nimio, vel belli potius timore, excitati; sed hoc metu, non ex animi sententia; non in doctrinis grauissimis, quas ambigua oratione inuoluebant, sed in rebus mediis; non approbante, sed reclamante seueriore Lutheranorum parte factum esse, diuturnae illae de *Adiaphoris*, vt vulgo appellantur, concertationes testantur. Hac vero violentia Caesar MAVRITII et IOACHIMI septemuirorum in primis animos in se concitabat, qui iam demum, quali in *Protestantes* animo esset, intelligebant; suaeque religioni interitum parari, ducto ab acerbitate Caesaris argumento, augurabantur.

§. III.

Concilium, in quo componendas de emendanda Ecclesia lites Imperator promiserat, erat sine dubio illud, quod iam ante susceptum bellum Smalcaldicum Pontifex, Caesari satisfacturus, *Tridenti* coegerat. In hoc spem suam Caesar collocasse videbatur; contra ex Pontificis moribus funestum rerum suarum exitum Protestantes praestolabantur. Neque tamen ipsis, quamuis fractas esse vires suas sentirent, Caesar minis adhortationibusque persuadere poterat, vt huic se Concilio subiecissent. Quidnam enim boni exspectandum erat ab isto concilio, in quo, non de corrigendo Ecclesiae statu amice deliberare, sed iudicis instar

instar sententiam dicere Pontifex constituerat; in quo non patres ceterarum regionum conscripti, sed vnice Pontificis legati, demta reliquis iudicandi potestate, decernebant *); in quo ipsae *Protestantium* doctrinae, sine caussa cognita, sine eorum defensione, sine omni ratione, solo *Anathemate* interposito, condemnabantur **). Negagabant *Protestantes*, et id iure quidem, se in

*) Referta sunt fere omnia, quae de *Concilio Tridentino* ad nostram memoriam pervenerunt, monumenta querelis de insolentia Pontificis eorumque, quos ad Concilium miserat, legatorum. Detestantur hanc violentiam ipsi illi, qui addicti Romanae Ecclesiae Concilio interfuerunt. Ex quibus, ne omnia auctoritati SARPII superstruere videar, sola excitabo Hispanorum testimonia ex illa collectione petenda, quae sub titulo: *Lettres et mémoires de* FRANÇOIS *de* VARGAS, *de* PIERRE *de* MALVENDA, *et de quelques Evêques d'Espagne, touchant le Concile de Trente; traduits de l'Espagnol. par* MICHEL LE VASSOR; *Amstelodami* MDCXCIX. prodiit; vbi VARGAS *in Memoriis suis* Part. I. p. 35, seqq., In litteris ad Episcopum Atrebatensem pag. 103. seq. 164. 188. seqq. 395. 421. sexcentisque aliis locis et PEIRVS DE MALVENDA ad eundem p. 147. cet. grauissime de insolentia legati Pontificii ipsiusque Pontificis conqueruntur.

**) Differendum fuisse doctrinarum, quas dissentientes defendebant, examen et condemnationem probe cordatiores in Concilio patres et legati perspexerunt. Ipsum Caesaris legatum condemnationi communionis sub vtra-

in vllius concilii decretis acquieturos, nisi ita comparatum esset, vt Ponifex omni iudicandi decernendique potestate priuatum se sisteret, ipsi vero non reorum personam sustinerent, sed pari cum aduersariis iure vterentur. Episcopos fide, qua Pontifici se obstrinxerant, liberandos, omniaque hactenus in detrimentum Protestantium in Concilio pronunciata abroganda postulabant. Quibus eorum postulatis nihil fuisse aequitati conuenientius, omnes aequi rerum arbitri perspiciebant; solus Romanorum Pontifex, his concessis de auctoritate sua desperans, illud capere non poterat *). Ille enim, quidquam se mutaturum esse in legibus hactenus in Concilio latis, pro more suo simpliciter negabat **). (est enim tanti

vtraque contradixisse SARPIVS refert in *Historia Concili Tridentini* p. m. 557. 58. Nimiam vero in reiiciendis doctrinis praecipitantiam et alios male habuisse, docent querelae VARGAE. l. c. p. 106. 120. etc. MALVENDAE p. 147, ipsiusque GRANVELLANI in epistola ad VARGAM p. 174.

*) Digna sunt, quae hic notentur, verba SLEIDANI, qui legati Argentoratensis in Concilio vicem sustinuit lib. XXIII. p. 670., atque legatum Pontificis, ait, ita sensisse: *Eos, qui doctrinae regulam atque modum reuerenter accipere et obtemperare debeant, suis maioribus velle praescribere, perquam hoc esse tum absurdum, tum indecorum.*

**) Hanc iam ab initio Pontifici mentem fuisse, ipsa bulla resumptionis Concilii docet, quam

IVLIVS

ti viri tamque nobilis audacter sua decreta defendere), neque alia lege dissentientes admittendos dicebat, nisi se omnia in Concilio constituenda approbaturos esse pollicerentur. Eo vsque tamen nostri Caesaris voluntati cedebant, vt se, legatos doctoresque suos, cum noua fidei suae confessione, *Tridentum* missuros esse promitterent; cuius rei gratia et in Saxonia, et in ducatu Wurtembergensi scriptis singularibus in Concilio exhibendis fidem suam exponi curabant *); quamuis, dum Pontifex rebus Concilii praeerat, nullam rerum emendationem exspectandam esse pulchre intelligerent. Quod quidem, metuebant, accidit. Quamquam enim Pontificis homines precibus monitisque Caesaris aures paullisper praebere videbantur, omnia tamen sic instruere didicerant, vt facile appareret, ad dissentientes non audiendos sed condemnandos, ipsos consedisse. Namque Protestantes differendum vsque ad aduentum suum de doctrinis iudicium voluerant; illi inter ipsa pacis

IVLIVS III. Pontifex euulgauit, quae plerumque collectionibus Canonum et decretorum huius Concilii adiuncta est. In editione PHILIPPI CHIFFLETII *Lugdunensi* de A. MDCCXXXIV. habetur pag. 87—89.

*) Conf. de vtraque hac formula summe reuerendi multisque mihi nominibus colendi PRAESIDIS Erläuterungen der symbolischen Schriften der evangelisch-lutherischen Kirche, in Appendice §. 149. et 163.

pacis consilia in eorum sententias Anathemata vibrabant. Hi grauissimas desiderabant de doctrinis moribusque corrigendis deliberationes; illi rebus leuioris momenti definiendis occupabantur, maioresque vel remissius tractabant *), vel praeteribant silentio, de ipsa vero Ecclesiae emendatione ne fando quidem cogitabant **). Hi non ad Pontificis, sed concilii iudicium prouocabant; illi legatos ipsius adeundos esse, eorumque ius et auctoritatem dictatoriam agnoscendam imperabant. Hi non ex auctoritate hominum, putabant, sed ex sacrarum litterarum oraculis, decidendas esse controuersias; illi, *scripturam esse rem inanimem atque mutam*, dicebant, *sicut etiam reliquae leges politicae, iudicis autem accommodandam esse vocem vt recte perciperetur* ***). Hi quidem non detrectabant legatos ad Concilium mittendos, modo vt legitime ipsis a Concilio caueretur, volebant. Quid vero illi? Recusant initio, postea ne eas quidem ipsis conditiones largiri volunt, quas olim Bohemorum legatis Concilium Basileense

*) VARGAS ad Episcopum Atrebatensem. l. c. pag. 162: *Le remarque fort bien*, inquit, *qu'on traite ici legèrement des matières importantes et d'une grande étendue.*

**) Vide MALVENDAE epistolam l. c. 147. et VARGAE p. 164. 188. 234.

***) Sunt verba, quibus Protestantium legatis responsum est apud SLEIDANVM lib. XXIII. pag. 683.

se concesserat; immo de eo, an Protestantium legatis locus et consueti honores concedendi essent, disputare poterant *); et, vt vno verbo complectar omnia, nihil prius meditabantur sanctissimi dictatores, quam id, quod ingratissimum fore dissentientibus, eorumque animos irritare posse arbitrabantur; atque in eo omnem ingenii vim expromebant, vt nexis, quos expediri nulla ratione posse credebant, difficultatis nodis, eorum aduentum et retardarent, et, cum iam accessissent, ipsis discessum, ruptis omnibus deliberationibus, persuaderent **). Quibus rebus factum est, vt quum ab altera parte, perpetuis Caesaris mandatis, quibus iracundiam saepius miscebat, ad subiiciendum se huic concilio adigerentur, ab altera autem flammas potius et proscriptionem,

*) Nisi quis SARPIO loc. cit. pag. 624. fidem habere voluerit, satis tamen, de ridicula hac disputatione testatur ipsa Protestationis formula a Concilio promulgata, (quam LE VASSOR citatis commentariis inseruit, pag. 471. seqq.) *ne ob disceptationes, quae tam de personis comparentibus mandatisque et scripturis exhibendis, quam de loco ad sedendum personis adsignando, oriri possent, felix ipsis Concilii progressus retardetur.*

**) Nihil magis, quam aduentum Protestantium extimuisse Pontificem iam VARGAS obseruauit l. c. p. 104. 5. 274., ipsumque, refert, eorum caussa, qua ratione speciose disrumpi posset Concilium, cagitasse p. 311. 545, omnibusque modis tentasse, vt ipsos ad discessum adigeret p. 397.

nem, quam rerum emendationem a Concilio exspectare possent, desperata emendatae religionis causa videretur.

§. IV.

Haec tamen fuissent tolerabilia, si adhibita, qua pollebat, potestate, Caesar liberum religionis exercitium *Protestantibus* concedere voluisset; nunc, et multo blanditiarum strepitu, et simulato pacis studio hoc tantum quaerebat, vt vtramque partem, et ipsum Pontificem, et eos qui ipsius auctoritatem in sacris oppugnabant, clandestinis machinationibus frangeret. Ancipiti, fateor, premebatur periculo Hinc iram et indignationem Pontificis, maximosque principum ab ipso ad defendendam Dei causam excitandorum tumultus; illinc intrepidum Lutheranorum animum metuebat, qui animam citius quam fidem semel receptam sibi eripi paterentur. Itaque; quamuis non ignoraret, auctoritatem Pontificis multum suae ipsius auctoritati detrahere, fractisque eius viribus tutius se regiones, quas Pontifex saepius attentauerat, possidere posse; tamen non vi ipsum, sed dolo supprimere, satius fore putabat. Quod vero, Pontifici, incertum est, an *Protestantibus* maius detrimentum attulerit. Nouerat argutus imperator, res curiae Romanae diu consistere non posse, nisi in Concilio Pontifices de suis suorumque moribus emendandis, de-

que

qne grauissimo rerum sacrarum abusu abrogando cogitarent. Iccirco, ne rebus Pontificis palam obicem ponere videretur, multis bonorum verborum crepundiis statorem se et defensorem cathedrae Romanae promisit, ipsius nutu, vt omnia in Concilio gererentur, litteris ad ipsum datis concessit *), denique se saepius ad exstirpandam Lutheranorum cohortem iureiurando obstrinxit **). Iisdem in destruenda horum societate artibus vtebatur. Eos enim qui ipsi viribus validi videbantur, in quibus erat MAVRITIVS Septemuir, conciliare sibi beneficiis, et ad ipsos *Augustanae Confessioni* addictos labefactandos adhibere, ceteros dissidiis et contentionibus intestinis, maxime ex formula Augustana natis, eneruare conabatur. Quibus omnibus effecturum se esse putabat, vt, quum talis rerum sacrarum

*) Ita Caesari cum Pontifice, vt restituendum ipsi Concilium Tridentinum persuaderet, conuenisse, VARGAS in schedula ad Episcopum Atrebatensem l. c. p. 63. 64. refert, qui, quamvis his litteris alium sensum vindicare studeat, de ipsa tamen litterarum fide, quid dubitet, non inuenit.

**) Legitur apud HORTLEDERVM. lib. III. cap. 3. p. 248. seqq. pactum Caesaris cum Pontifice, quo ad eradicandam *Protestantium* haeresin consenserunt. In commentariis vero LE VASSORII ipse GRANVELLANVS, consiliorum Caesaris peritissimus: *Caesarem mortem prius susceperturum quam conscientiae libertatem Protestantibus concessurum esse*, confitetur. pag. 561.

rum emendatio, qualem *Proteſtantes* deſiderabant, non eſſet a Concilio exſpectanda, neque pacis ſed belli ſemina famoſum illud *Interim* ſparſurum eſſe praevideret, ipſos viribus deſtitutos, magna cum pietatis et iuſtitiae ſpecie, tanquam pertinaces rei publicae turbatores, qui omnia pacis conſilia ſpreuiſſent, funditus poſſet proſternere.

§. V.

Non ferenda haec videbantur MAVRITIO reliquisque Lutheranorum principibus Iam enim Caeſarem vix per cuniculos emendatam religonem conuellere amplius, ſed quem animum aduerſus eos ſumpſerat, quibus Dei auctoritas potior erat quam Pontificis Caeſarisque amicitia, eum in ipſorum ſanguinem exerciturum eſſe perſentiscebant. Cuius ſaeuitiam cum exſtinguere cedendo non poſſent, quicquid ipſis erat virium colligendum, armisque id ſibi vindicandum decernebant, quod rapaci manu Caeſar ipſis eripere minabatur. Inter hos maxime MAVRITIVS, nouus Saxoniae Septemuir, quem ſibi totum deuinxiſſe Caeſar putauerat, ſummis multorum precibus, ſociorum calamitate, ſubdolaque Caeſaris indole commotus, vt, ſibi cum hoſte potentiſſimo, ad cuius impetum retundendum propriae vires non ſufficerent, depugnandum eſſe, intellexit, totam concitauit viciniam, imploratoque regum Galliae Angliaeque aliorumque Germaniae

maniae procerum auxilio, ipsis illis copiis, quibus iussu Caesaris Magdeburgum, vrbem Augustanae Confessioni mordicus inhaerentem, oppugnauerat, ipsum Imperatorem adortus est. Qua in expeditione cum secundo Marte pugnaret, nouitate rei tamque curioso principio Caesar perterritus, faciliorem se caussae Lutheranorum praebuit, neque solum IOANNEM FRIDERICVM ocius ex captiuitate dimisit, sed paulo post etiam Passauiae liberum religionis exercitium Augustanae Confessioni addictis vltro concessit, donec in comitiis intra sextum mensem habendis, quae in quaestione erant, rite placideque componerentur *) Sic ille, qui res Lutheranorum maxime turbauerat MAVRITIVS, rem ipsis prudentia & fortitudine restituit! Sic infirmus ille, vt videbatur, princeps Imperatorem subegit, qui leges toti fere terrarum orbi dictitabat! Sic sine vlla clade id sua celeritate effecit, quod tanti

*) Huius pactionis, quae induciarum magis quam pacis nomen meretur, formula in omnibus fere constitutionum recessuumque Imperii collectionibus, aliisque locis. e. g apud HORTLEDERVM. l. c. Vol. II. lib. V. cap. 14. p. 1327. seqq. et CHRISTOPH. LEHMANNVM in *Actis de pace religionis* lib. I. cap. I. deprehenditur. Recentissime ipsam recudi curauit IOANNES ERHARDVS KAPPIVS, Vir de memoria Reformationis variis scriptis optime meritus in dem freudigen Andenken des ersten Religions-Friedens-Jubel-Fests p. 177. seqq.

ti exercitus, tot preces, tot principes, frustra tentauerant!

§. VI.

Post haec tres propemodum anni transierunt, in quibus nondum coacta erant, quae Caesar promiserat, comitia. Neque, bello nimium implicatus, poterat de pace inter dissidentes de religione satis cogitare, quamuis multae eaeque grauissimae, et Caesarem et fratrem ipsius, rationes, ad pacem Euangelicis nunc demum concedendam, commouerent. Pertaesus enim multorum, quibus fere occubuerat Caesar laborum, reliquum vitae suae tempus quiete transigere, eaque de caussa imperio publice renunciare decreuerat. Non tamen turbulentam et intestinis perturbationibus disruptam relinquere Germaniam voluit, sed, cum armis amplius non posset, pace exoptata animos Lutheranorum superare, imperiumque laudabiliter gestum augusto fine coronare constituit. Componendas igitur de religione lites in comitiis Augustae Vindelicorum habendis FERDINANDO fratri, regi Romanorum, tradiderat, qui pace *Protestantes* sibi conciliare non nihil e re sua esse arbitrabatur. Rationes vero ad acceleranda comitia ipsum commouentes quemadmodum permultae fuerunt ex FERDINANDI parte, de quibus aptior erit infra dicendi locus, ita non inter leuissimas reputandum erat, quod

patres

patres Tridentini Concilii, postquam inferiorem Germaniae partem armis MAVRITII personantem audiuerant, concilio, bona cum Pontificis venia, soluto, fuga salutem petiissent, nec adeo Concilium, ad quod remitti *Protestantes* poterant, superesset. Cui argumento non exiguum pondus addidit ea, quae AVGVSTO, Saxoniae Septemuiro, cum CHRISTIANO Daniae rege, ob ductam eius filiam, interceserat, necessitas, quem FERDINANDVS, si de pace religionis diligenter laboraret, amicum sibi deuinctissimum, sin minus, fortissimum inimicum praesagiebat Quare, auctoritate CAROLI Imperatoris, qui absens in Belgio degebat, munitus, edictum de habendis Augustae A. MDLV. comitiis promulgauit, simulque, vt omnes dissidentium principes, ipsi se, rationum felicius subducendarum gratia, sisterent, amice hortatus est. In ipsis vero his comitiis, quorum historiam infra paullo diligentius enarrabimus, post varias altercationes feliciter compositas, ii, qui protestati Pontificis Romani se huc vsque subduxerant, Augustanae Confessioni addicti, exoptatissimam illam, diu sed frustra quaesitam de iugo curiae Romanae libertatem publice tandem aliquando impetrarunt. In illud scilicet vtraque litigantium pars consentiebat, vt, quam huc vsque Euangelici strenue defenderant, de sacris sentiendi, doctores atque ministros constituendi, omnia-

niaque, quae ad Dei cultum pertinebant, ex mente sua instruendi perfecta libertate, iisdemque iuribus communiter cum aduersariis vterentur; ita quidem, vt neque eorum religionem, qui Pontificis disciplinam probabant, vllo modo turbarent, neque ab illis quid sibi metuendum esse arbitrarentur. Neque vero id solum, sed relinquebatur etiam vniuscuiusque arbitrio, vt ex ea religione, quam huc vsque confessus erat, ad alteram impune, si placeret, transire posset, ea tamen lege, vt, si quis ex coetu Pontificiorum, sacro ordini adscriptus, ad Lutheranorum societatem se conferret, ea, hac ipsa secessione, bona, quae hactenus muneris beneficio possederat, vetustiori Ecclesiae restitueret; (quam sanctionem *Reseruati Ecclesiastici* nomine insignire solemus). Muniebantur haec omnia mutua foederis conseruandi promissione, et omnes, qui, quacunque ratione, auctoritati huius constitutionis detracturi essent, hostes totius Imperii declarabantur *). §. VII.

*) Ipsum huius pacis instrumentum qui conferre voluerit, adeat citatos supra (not. 21.) Scriptores, in specie LEHMANNVM lib. I. cap. XXXIV. et Cl. KAPPIVM p 212. seqq. Eius quoque argumentum quinque tabulis distinctum exhibet IOANNES GODOFREDVS DE MEIERN in diffuso isto splendidissimoque opere, cui nomen: *Actorum pacis Westphalicae publicorum* dedit, in cuius Tomo I. post praefationem inueniuntur.

§. VII.

Numquam profecto satis aestimari potest tantum tamque excellens Dei beneficium, quo nobis leges adeo humanae concessae sunt, vt, ex sapienti viri cuiusdam sagacissimi sententia *) *vix quidquam sit, quod illius saeculi superstitionem, ignorantiam et infelicitatem, vnaque necessitatem emendationis clarius demonstret, quam id ipsum, quod tot scriptis, vixis et bellis plerique Germanorum adduci debuerint, vt in leges tam aequas, sanaeque rationi ac sacris litteris aeque conuenientes consentirent;* leges, quae exoptatissimam nobis felicitatem attulerunt, circaque quas procurandas tot singularis prouidentiae diuinae vestigia apparuerunt, vt satis, hanc pacem plane auream esse et quasi diuinitus conditam, luculenter demonstrent. Quae quidem documenta quum ex probatis, quae memoriae nobis proditae sunt, historiarum monumentis eruere, omniumque conspectui exponere, nobis animo constitutum sit; non alienum videtur, quaedam dicendis praemittere, ex quibus, et nostrum demonstrandi modum, et quid in hac disquisitione exspectandum sit, facile quilibet possit intelligere. Fuerunt scilicet inter religionis nostrae aduersarios, qui, postquam ex historia-

*) Summe reuerendi Excellentissimique IO. LAVR. MOSHEMII *Institutionum historiae Christianae recentioris.* pag. 73.

horiarum campo quaedam hinc inde decrepserant, nescio quid inueniisse sibi visi sunt, quibus id, quod in procurata ope LVTHERI sacrorum emendatione diuinum est, labefactarent. Horum alii miracula postularunt, quibus diuinam religionis nostrae originem demonstraremus; his enim qui destituuntur, eos quidem, putant, si medicam veritatibus, quae diuinae habentur, manum adiicere velint, non diuinitus excitatos esse posse. Aliis autem, et iis quidem non admodum indoctis, nihil in religionis istius saeculi emendatione, pacequе religionis procuranda, singulare videtur. Quid quaeso mirum est, inquiunt, emendationis opus bene succedere, quod a multis iisque potentissimis principibus, suo ipsorum commodo ductis, sustentatur? quod homines ab intolerabili iugo in libertatem vindicat? quod sententias disseminat cuiuis prudenti ingenuoque homini perplacentes? Pacem vero impetrare ab iis, qui vel inuiti, ad illam concedendam, vi metuque adiguntur, id vero neque arduum est, neque in hoc terrarum orbe non vbiuis obuium. Quorum in opinione quum sentiam versari multos, vtraque vero diuinam circa hoc opus prouidentiam, cuius causlam, circa religionis pacem maxime, defendendam suscepimus, non parum elevare videatur; contra vtramque dicendum breuiter existimo.

§. VIII.

Qui ſpuriam putant religionis emendationem, quoniam miraculis ſusceptam hanc ſacrorum mutationem noſtri Confeſſores non confirmauerint, ii profecto, ſi dicendum quod res eſt, cum ipſis miraculis Deum ſui cauſſa delirantem poſtulant. Quod ſi enim, qui iſta deſiderant, homines eſſent, qui, omnium falſarum opinionum temeritate derepta, veritatem, vbicunque gentium eſt, ſcrutarentur, iam audiendos eſſe eos dicerem; quamuis nec ita ſentientes anxie miracula poſtulaturos eſſe arbitrarer. Nunc, quum, qui haec obiiciunt, Fanatici plerumque ſint, aut de Pontificis grege homines: hi vero, qui inter delirantium ſomnia pubeſcunt, qui traditionibus, qui auctoritatibus, qui ſexcentis aliis ingenium moresque corrumpentibus nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quam bene olere, qui in culina habitant. Atqui ſi verum eſt, quod nemo ſapientum dubitat, poſſe Deum, certas huius terrarum orbis mutationes ſapienter connectendo, ſatis demonſtrare, ſe ſingulari quodam modo hunc illumue euentum direxiſſe; quidnam eo in caſu miracula poſtulare aliud eſt, quam velle, vt Deus ſtolide imprudenterque agat? Eiusmodi prouidentiae diuinae ſpecimina ſi deſiderant aduerſarii, nos ad producenda ea, quae miraculorum in hac diſputatione locum ſuſtine-

ſtinere poſſunt, ſemper paratos invenient. Quae ſi minus ipſis videntur ſufficere, neminem difficilius miraculis conuinci poſſe, quam ipſos horum miraculorum fautores, facili negotio demonſtrabimus. Sed ferendi fere ſunt, qui requirunt, miracula, ſi cum iis conferantur, qui ſingularem Dei prouidentiam ab hoc omni negotio abfuiſſe volunt. Ipſi enim, niſi omnem penitus ex hoc mundo prouidentiam proſcribunt, leuibus atque inanibus ſonis ludibria quaedam excitare videntur. Namque eorum plurimi, ne dicam omnes, ſunt, qui ipſa miracula iocum riſumque faciunt. Quod ſi igitur nihil diuini, omnia naturalia in hac rerum ſerie deprehendunt; quid aliud quam miracula deſiderant, ſi de harum rerum diuinitate conſtare oporteret? quid igitur aliud, quam vt Deus ipſis ſe deridendum propinet? Quo vero quid ineptius fingi poteſt? quid pio et ſapienti turpius? Sed ne me putes, inuidia in hos ductum, ipſis aliquid affinxiſſe, bona mente erraſſe credamus; negligentiae tamen notam profecto non effugient. Omnia, aiunt, ad pacem efficiendam iam conſpirarunt (placet enim hanc prae reliquis in mutatae religionis negotio conſiderare). Largior, ſi de felici rerum noſtrarum exitu loquuntur; neque enim hoc a noſtra ſententia alienum eſt. Largior etiam, ſi, omnes euentus in vnicum hunc finem conſpiraſſe, dicunt; modo

id

id mihi concedant, ipsa religionis nostrae fata, alium, quam subsecutus est rerum exitum promisisse; contra hoc enim qui negant, in sequentibus instituetur disputatio. Quod vero si concedunt, num, nisi omnem velint prouidentiam tollere, singularem Dei circa haec curam in dubium vocare possunt? Recte autem de his dici potest, quod, in destruendo atomorum concursu, contra EPICVRVM CICERO monuit *): *In rerum* inquit, *natura duo quaerenda sunt, vnum, quae materia sit, ex qua quaeque res efficiatur; alterum, quae vis sit, quae quidque efficiat; de materia dissernerunt, vim et causſam efficiendi reliquerunt.* Atqui, si mirifice, quod aiunt, omnia ad promouendam pacem conspirarunt, numquid sine ratione id accidisse putant? numquid, diuinam prouidentiam concedentes, otiosum spectatorem Deum fuisse in causſa grauissima contendent? numquid igitur, ipsum Deum omnia apte ita et concinne disposuisse, inficiabuntur? Est vtique, ita omnes huius mundi euentus sapientissime summum numen coniunxit, quod omnem consilio suo mundum administrat, vt admirabilis quaedam sit continuatio seriesque rerum, qua efficitur, vt, qui inter se apti colligatique videntur, euentus sibimet inuicem manum quasi auxiliatricem porrigant, neque eorum sit quisquam, qui ad alte-

*) *De finibus honorum et malorum* lib. I. cap. 6.

alterum promouendum efficiendumque nihil plane conferat. Neque tamen negari potest, siquidem omnia inter se magnitudine et quasi gradibus differunt, quosdam inter illos, praestantiori quadam dignitate eminere, quippe qui ad summum, quem sibi in condendo mundo Deus praefixit, finem obtinendum propius spectare videntur. Circa quos singularem plane Dei curam esse, nemo inficiatur, qui Deum optimum esse praestantiorum rerum aestimatorem nouit. Hunc vero in demonstranda singulari sua circa quosdam euentus prouidentia modum Deus adhibet, vt, quum omnia consueto quodam et semel recepto quasi ordine in mundo progrediantur, in iis non vulgari modo omnia, quae ad eiusmodi euentum efficiendum pertinent, disponat, sed leges aliquantisper migret, quibus alioquin omnia in hoc terrarum orbe reguntur. Quae si ipsa rerum connexione obtineri non possunt, *miracula* prodeunt, quibus id efficitur, quod vires rerum huius mundi excedit. Enimuero accidere solet saepius, vt eueniant, quae cum consuetis legibus minus conspirare videntur, ita tamen, vt apta et mirabili rerum a Deo facta dispositione efficiantur. Haec quum ad miracula proxime accedant, non inepte *quasi miracula* diceres, quae non minori singularis diuinae prouidentiae documento sunt, quam ipsa miracula

cula *) Fit saepius, vt negotii cuiusdam suscipiendi consilium capiant homines nec sapientia, nec proposita sibi efficiendi potestate destituti. Omnia, quidquid sana ratio, quidquid omnes sapientiae leges imperant, arripiunt. Insipere videretur, qui hac ratione obtentum iri finem constitutum dubitaret; omnia enim ad hunc producentum adeo consentiunt, vt eadem fere certitudine futurum finem, quam media, quae ob oculos habent, tenere videantur. Sunt alii, qui eum destruendum cupiunt, qui tamen et viribus destituuntur, et eiusmodi vtuntur mediis, quibus contrarium potius, omnium consensu, produceretur. Sed proficiunt hi, qui delirare videbantur; illorum media

*) Vellem ego, ne inuidia verbi labefactetur oratio mea. Constat inter omnes, quam male terminus *miraculorum* aduersarios hac in re habuit, postquam IO. SAVBERTVS librum *Noribergae* A. MDCXXXI. forma quater complicata emisit, huius tituli: *Miracula Augustanae Confessionis*. D. i. Wunderwerke der Augspurgischen Confession, welche sich bei Uebergebung derselben, und folgender Zeit zugetragen. In quo quamuis quaedam admisceat ad singularis cuiusdam Dei prouidentiae specimina, quae nomine *miraculorum* insigniuit, non pertinentia: tanto tamen clamore ad irridendum ipsius studium opus non erat; quod mallem argumentis impugnassent, quam ridiculo in verbulum impetu. Bono autem sensu, quod simile miraculo est, *miraculum* dici posse in hoc negotio, arbitror.

media non ſolum felici carent ſucceſſu, ſed illud ipſum iis ipſis mediis efficitur, quod iis euitare voluerant, eaque obſtaculo ſunt, quae, ex omnium ſapientum opinione, rei promouendae certiſſime inſeruiebant. Quae ſi quando in mundo contingunt, in quo omnia ſummi numinis voluntate diriguntur, habes, in quibus ſingularis diuinae prouidentiae veſtigia apparent. Iam quaeſo, ſi ceterae mundi partes bene conſtitutae ſunt, num ſingularem curam, qua Deus ea, quae ad ciuitatem ſuam regendam maxime pertinent, moderatur, ab ipſo, tamquam ab inerti gubernatore, neglectum iri veriſimile eſt? Quid ergo eſt? Vituperatores obiurgatione digni ſunt, qui hac in re modum prouidentiae conſtituunt. Iſtud enim eſt ſapere, ſi quae in republica Dei mutationes eueniunt, non, quae ante pedes modo ſunt, circumſpicere, ſed ea etiam ad curam Dei circa huius mundi euentus referre, indeque, num diuina approbatione fiant, num ſecus, ſubductis bene rationibus, iudicare.

§. VIIII.

Huiusmodi vero ſingularis diuinae prouidentiae ſpecimina, vtrum in comparanda nobis per pacem Paſſauienſem et Auguſtanam ſacrorum libertate deprehendantur, iuuat pluribus inquirere. Quae vt intelligantur melius, tria quaſi vel, ſi mauis, quatuor, fundamentorum inſtar, principia non facile

facile in dubium reuocanda ponam; quibus vtrique paci accommodatis, quemuis mihi daturum existimo, eminentiori quodam modo diuinum numem circa hanc pacem fuisse occupatum. Primo itaque mihi ratiocinari liceat: Si, qui aliquam religionem sectantur, tanta vi pollent, vt aliquem qui summo animi feruore hanc religionem ad internecionem vsque persequitur principem facili supplantare possent negotio; si tamen hic tantas copias vno quasi ictu prosternit, omnem aduersariorum societatem dissipat, atque ad summum potentiae fastigium pertingit; si, qui ex communi quasi naufragio enatarant, et viribus destituuntur, quibus tanti principis, ad cuius nutum pars orbis terrarum maxima componitur, conatus paullisper retardent, et, si tale quid tentare velint, certissimum praeuident interitum: dementiae non videtur absimile, cum exigua manu tantum adoriri principem, omniumque iudicio infaustus rerum exitus praesagiendus est. Quodsi deinde ipse ille princeps, consilio et sapientia excellentissimus, his aduersariis ipsa tela, quibus perfodiatur, suppeditat; quodsi exigua manu ipsum felicissime superant, eique, viribus aduersariis longe adhucdum maiori, pacem extorquent; quod si denique ea omnia, qui firmissimo ipsi praesidio esse et ad obtinendos fines aptissima videbantur, id ipsum efficiunt, quod summum ei affert detrimentum,

tum; recte infertur, diuinam prouidentiam haec omnia, modo quodam singulari, direxisse, manum illam exiguam non sine afflatu aliquo diuino fuisse, denique Deum ipsum inimicorum disturbasse consilia. Porro: Si exigua haec societas, viribus vix ac ne vix quidem refectis, intestinis rumpitur dissidiis, firmissimo, in quo fere solo innitebatur, fulcro priuatur, nec habet alios, quorum auxilio opibusque subleuetur; si isti homines omnibus paene viribus carent, nec est, praeter fidem istius principis longe fortioris male ambulantem, cui spem suam superstruant; si, his non obstantibus, aliorum auxilium non circumspiciunt, animi tamen fortitudine, spe decrescente, crescunt; si ipsi denique eorum aduersarii, vel necessitate quadam aliunde interueniente adigantur, vel actionibus suis, nihil tale cogitantes, pacem comparant, in qua liberum inimicis religionis exercitium conceditur: consequens est, ipsum Deum huius pacis quasi architectum fuisse. Pergamus: Si in concilianda pace inimici contra ipsius religionis suae principia, maxima cum iactura multorum summorumque bonorum, hominibus pacem concedunt, quos viribus longissime superant, eorumque vehementia quasi nulla prorsus potestate sustentata, vel inuiti, ad pacem sanciendam commouentur: si ipsi illi, quorum res hac pace in maximum discrimen adducuntur, ipsis moribus

suis

ſuis pacem ſibi moleſtam promouent: non aliter iudicari poteſt, quam quod ipſe Deus, diſſipatis difficultatum nebulis, regimine ſuo ſingulari hanc pacem procurauerit. Denique: Si ipſa hac pace duo illa fundamenta, quibus et aeterna noſtra felicitas et ſalus publica innititur, in priſtinum reſtituuntur: perſpicuum eſt: non tam ab hominibus quam diuinitus hanc pacem eſſe conditam.

§. X.

Nunc quoniam haec omnia paci religionis aſſerenda videntur, ipſa huius vtriusque pacis fata conſideremus! Omnis ante bellum Smalcaldicum ſalus, emendataeque per LVTHERVM religionis ſecuritas, in foedere illo inniti videbatur, quod ad vindicandam, ſi opus eſſet, religionem ſuam, et ab imperio Pontificis libertatem, Smalcaldiae *Proteſtantes* ſanciuerant. Neque nihil metuendum eſſe ab hoc foedere ii putabant, qui Pontificis auctoritatem tuebantur. Ipſa enim experientia edocti erant, quantum ſemper effecerint initae in Imperio ſocietates, ad quas Germanis, ſi quid magni moliebantur, omni tempore recurrendum fuerat. Huius vero ſocietatis ſodalibus et imminens periculum, et ipſa ſocietatis cauſſa, religio, cuius maximum eſt in hominum animos imperium, maximum omnia ſuſcipiendi ardorem inſpirare videbatur. Et tantae profecto erant Smalcaldicorum vires, vt, quum con-

conflatum esset bellum, ingentem, qui supra centum millia militum assurgebat, exercitum aduersus Caesarem educerent. Contra vero Caesar vix vllo tempore viribus copiisque destitutum se magis senserat, quam quum ipsum bellum in *Protestantes* suscipiendum meditaretur; neque vllum est dubium, si res suas foederati serio instituissent, facili negotio exiguum Caesaris exercitum funditus prosternere potuisse. Sed intempestiua foederatorum sollicitudine, qui Caesarem prius armis aggredi religioni sibi duxerant, et hinc orta inter ipsos dissensione efficiebatur, vt nimium cunctando nihil agerent, ipsique Caesari sui opprimendi occasionem, in summum rerum suarum detrimentum, suppeditarent. Hic vero, qui consilio potius quam armis labefactandos esse aduersarios arbitrabatur, acutissima ratione se ab ipsis redemit, eo quod, quos nouerat Augustanae Confessioni addictos, ad suas pertrahere partes studeret. Suum iam sociis Smalcaldicis auxilium denegauerat IOACHIMVS II. Brandenburgicus Septemuir; MAVRITIO autem Saxoniae duci, IOANNI Custrinensi, Electoris Brandenburgici fratri, et ALBERTO Marchioni Brandenburgico facile Caesar persuadebat, vt vel ad ipsos Aug. Conf. socios impugnandos se accingerent. Hac ratione factum est, vt vniti nihil contra Caesarem, licet viribus multo inferiorem, effecerint, quumque prope Muhlbergam

gam proelio cum Caesaris exercitu decertandum esset, non fugatae solum *Protestantium* copiae, sed capti etiam eorum primipili fuerint. Milites quid sine capite possint, constat inter omnes Dissipabantur copiae atque vnica hac pugna omnis spes omnisque fiducia in foedere Smalcaldico, tamquam vnico libertatis *Protestantium* praesidio, collocata exspirabat. Itaque tam tremenda foederatorum societas, quae certissimum Caesari interitum minabatur, non Caesaris virtute, neque quodam fortunae errore profligata est, sed sola ipsorum sodalium discordia, et quorundam in aula *Saxonica* proditione. Neque spes erat recuperandarum virium. Ii enim, qui huic societati adscripti communi quasi naufragio euaserant, infelicem rerum exitum perspicicientes cum sua sponte, tum auctoritate Caesaris perterriti, foederi se subtrahebant. Reliquos, qui Caesaris quidem partibus fauebant, attamen Augustanam Confessionem sequebantur, principes multis sibi Caesar beneficiis conciliauerat; in quibus orbatas iam capite regiones Saxonicas, vna cum Septemuiratu, MAVRITIO tradidit. Qua erga hos amicitia, erga illos seueritate effecit, vt nullos, qui de emendanda religione, deque rebus Lutheranorum restituendis, turbas mouerent, superstites esse crederet.

§. XI.

§. XI.

Neque Caesar hac in re, si per se res consideratur, multum erasse censendus est; nullus enim eo tempore fuit inter *Protestantes*, qui vel mutire contra tantum Imperatorem auderet. Funestus belli Smalcaldici exitus in omnium mentibus haerebat; quumque vires *Euangelicorum* tunc adhuc infractae et recentes quasi nihil contra Caesarem potuissent, nihil profecto nunc boni sibi polliceri poterant, quum fractis essent viribus; praeprimis cum multi sine dubio, ex eo, quod susceptum contra Caesarem de religione bellum male succesSerat, hosce conatus deo displicere, coniicerent; qui non armis resistendum magistratui, sed iniuriam patienter ferendam esse, ipsa hac calamitate immissa, declarasset *). Eorum, qui huic veli-

*) Non improbabilem hanc esse de plerorumque *Protestantium* sententia coniecturam, omnes concedent, qui, quam solliciti fuerint de suscipiendi belli Smalcaldici iustitia, perpendunt. Quantum hac in re nutauerint, tum ex variis variorum, Theologorum maxime, scriptis, qui in vtramque partem disputarunt, quibusque colligendis HORTLEDERVS totum primum et secundum librum saepius laudati operis impendit; tum ex ipsa eorum in hoc bello cunctatione perspici potest. Quod quemadmodum LVTHERVM ipsumque sectantes, a turbis excitandis prorsus alienos fuisse, luculenter demonstrat; ita mitiorem ipsos, qui impugnandum esse Caesa-

religioni fauebant, plurimi, veluti pestilenti quodam sidere afflati, captiosis, quas *Interim* continebat, doctrinis sopiti erant, adeoque sibimet inuicem diffidebant relicti ex foedere socii, vt, si vel quis denuo Caesarem armis aggredi voluisset, a reliquis se desertum iri vereretur. Omnes praeterea, qui religionem in Aug. Conf propositam receperant, hi fere erant: MAVRITIVS et IOACHIMVS Septemuiri, ALBERTVS Culmbacensis Marchio, GEORGIVS dux Megapolitanus, et alii quidam principes ipsa Smalcaldici foederis debellatione attriti et pessumdati, vt FRIDERICVS Palatinus et CHRISTOPHORVS Wurtenbergicus, denique quaedam ex imperii ciuitatibus respublicae. Hae pariter ac minores Germaniae proceres, qui tacite saltim Aug. Conf. praecepta sequebantur, ne tentare quidem tumultus poterant; inter eminentiores vero Caesari forsitan extimescendi fuissent IOACHIMVS et MAVRITIVS. IOACHIMVS princeps erat paci studiosissimus, facilemque se praebebat in iis, quae non ad religionem necessario constituendam pertinere ipsi videbantur *); cuius in domum Austria-

Caesarem negarunt, sententiam mereri arbitror, quam plures ferunt, qui horum opinionem et dicendi genus nostri saeculi institutis metiri videntur.

*) Placidum hoc IOACHIMI ingenium, qui, pacis pio consilio conseruandae gratia, paullulum a rigore saeculi sui recessit, in primis ex

Austriacam tanta exstiterant merita, vt ne suspicari quidem ab ipso tumultus Imperator potuisset; qui, quod nemo *Protestantium* praeter ipsum fecit, ad fabricandam pacis sacrae formulam Augustanam, doctorem quemdam, IOANNEM AGRICOLAM Islebium, concesserat; qui denique tempori aliquantisper inseruiens, legatis ad Concilium Tridentinum missis, ab audiendis huius concilii decretis non prorsus se alienum futurum promiserat *). MAVRITIVS vero, *Inte-*

ex ipsius formula liturgica apparet, cuius argumentum breuibus recenset HENR. SCHMIDTIVS in der kurzen Einleitung zur Brandenburgischen Kirchen- und Reformations-Historie §. 82. 83., vna cum litteris, quibus Septemuir Brandenburgicorum sacerdotibus, quosdam ritus et caerimonias detrectantibus, paullo seuerius respondit §. 88. seqq. Adde pacificam eius orationem ad doctores Ratisbonae de religione cum Pontificiis differentes apud NIC. LEVTINGERVM *de Marchia Brandenburgensi* lib. IV. §. 30. Tom. I. Operum a GEORGIO GOTHOFR. KVSTERO coniunctim editorum. p. 175. seqq.

*) Nolim hoc ita dictum putes, ac si laudes, quae tanto principi iure debentur, minuendas constituissem. Veneror beatissimam eius memoriam, qui eundem pacem sectando, quem ceteri acrius insistendo, pro emendata religione feruorem exhibuit; cuius comitate condita grauitas saepius apud Caesarem, quod alii armis non poterant, effecit; cuius denique actiones, quibus nimium Caesaris voluntati cessisse visus est, animo ip-

Interim iamiam euulgato, omnia, quae per aequitatis ac pietatis regulas posset, se concessurum esse pollicebatur; id quod, suis formulam Lipsiensem imponendo, ex parte iam praestiterat. Atque nihil erat, quod MAVRITIVM ad Caesarem impugnandum commouere potuisset, cui omnem fere potestatem, omne imperium, aliaqua multa accepta referebat; et, si quae etiam moliri contra ipsum voluisset, facile ipso detrimento potuisset deterreri, quod hisce conatibus coniunctum iri persentiscebat. Inhiauerat enim iam ab aliquo tempore ante bellum Smalcaldicum MAVRITIVS dignitati regionibusque IOANNIS FRIDERICI Septemuiri, quae denique omnia clementia Caesaris obtinuit, eo quod contra IO. FRIDERICVM in illo bello arma tulisset, magna tamen cum *Protestantium* indignatione, qui ipsum caussae suae destructorem putabant. Iam, si MAVRITIVS in eas incidisset cogitationes, vt, ad restituendam Lutheranorum libertatem, Caesarem adorire-

sius paci deditissimo haud possunt difficulter excusari. Neque verba, quibus eius legati vsi sunt, ita fuere concepta, vt inde quid contra pietatem ipsius Euangelicam colligi posset. Vnde miror, SLEIDANVM lib. XXIII. p. 664 non maiori cautione hac de re locutum fuisse. Rectius sentit FRANCISCVS DE VARGAS in epist. ad Episcopum Atrebatensem l. c. p. 113.; cuius cum iudicio conferri suaserim, quae bene LE VASSOR pag. III. seqq. monuit.

riretur, vel feliciter sibi hunc in Caesarem impetum succesſurum esse, vel se aduerso Marte pugnaturum, praeuidebat. Si prius, restituere res Lutheranorum admodum desperatas potuisset, sed id, quod ipsi a *Protestantibus*, quod a subditis praecipue, qui animis expulso Septemuiro, ore, vel inuiti, MAVRITIO adhaerebant *), exspectandum erat, facile omnes belli cogitationes disiicere poterat. Nonne enim ipsos occasionem arrepturos esse, credibile erat, factam sibi a MAVRITIO vlciscendi iniuriam, ipsum ab aliquo saltim dignitatis suae gradu depellendi, atque IOANNEM FRIDERICVM pristino suo statui restituendi, quum de caussa Lutheranorum defendenda meritus optime esset? Omnis enim MAVRITII dignitas auctoritati Caesaris, IOANNISQVE FRIDERICI captiuitati superstructa

*) Vide GEORGIVM ARNOLDVM in *vita* MAVRITII *Electoris Saxoniae* quam ex authentico exemplo latino primum editam *Scriptoribus rerum Germanicarum, praecipue Saxonicarum* Tomo II. inseruit IO. BVRCHARDVS MENCKENIVS loco 20., pag. 1230. Idem inuenies iudicium in litteris Dn. de VENNES ad Comitem stabuli, quae inter *epistolas arcanas* gallico idiomate conscriptas *ab* HENRICO II. *Galliae rege ad ministros et amicos suos et ab his vicissim ad regem*, ex autographo bibliothecae regiae Parisiensis a MENCKENIO in eadem collectione editas, l. c. pag. 1391. seqq., locum 14. occupant. *Maurice*, inquit, *n'est entierement asseuré de la fidelité de ses subiects, qui sont enclins à leur ancien et premier Seigneur.*

ſtructa erat; cui dimiſſo ſi Caeſar regiones, quas patria haereditate acceperat, recuperandas permiſiſſet, conclamandum de MAVRITII dignitate fuiſſet *). Quod ſi vero infelici ſucceſſu rem ſuſceptam MAVRITIVS gereret, et certiſſimam omnis dignitatis omniumque bonorum iacturam, et, cui ſuſtentandae ipſe unicus fere idoneus erat, emendatae religionis cauſſam perditam fore, animo praeſagire poterat. Quae quum omnia ſecum reputaret MAVRITIVS, melius omnino et ſibi et Eccleſiae, per LVTHERVM ab inueteratis erroribus perpurgatae, conſulturum ſe eſſe animaduertebat, ſi, Caeſari paullisper cedendo, acerba ipſius conſilia aliquantum mitigaret, quam, ſi, violenter ipſum impugnando, ſuas et ſocicorum Aug. Conf. res in ſummum discrimen adduceret.

§. XII.

Poterant haec omnia, ſi quid iudico, ſatis deterrere noſtros, ne bello Caeſarem ſollicitarent; ſed erat praeter haec, quae ipſis quaſi ſilentium imponebat, ſumma Caeſaris atque excellentiſſima potentia. Non facile viderunt recentiora tempora principem, qui tot tantisque vndique imperiis domi-

*) Ipſam hanc mentem Caeſar iis verbis declarauit, quae GEORG. ARNOLDVS l. cit. p. 1230. memoriae prodidit; *ſe enim vrſum*, dixit, *catena ligatum ſecum ducere, quo dimiſſo Mauritium facile eſſet repreſſurus.*

dominatus fuerit, neque post ipsum vllus fuit, qui pari potestate excelleret. Huic enim contigit, quod nescio an ulli, vt plurimis, qui per se vniuerso terrarum orbi tremorem incutere poterant, imperiis, suo sub imperio, in vnicam quasi rempublicam collectis, summum potentiae fastigium attigisse videretur. Omnis enim Hispania, omne Belgium, omnium paene diuitiarum eo tempore mercaturae insignis pars Italiae, omnis Germania, (at quanta imperia!) ipsius mandata venerabantur; omnis, qui nouus appellatur, quam late patet, orbis, diuitiis summisque imperiis refertissimus, ipsius nutu regebatur; nec in Africa regiones deerant, quae ad ipsius voluntatem se componebant. Qua conglobata tot imperiorum potentia effectum est, vt, quum alii Imperatores honoris caussa, hic certe non nomine magis quam re ipsa dici *Inuictissimus* potuerit. Neque minor huius virtuti semper fortuna coniuncta fuit, adeo vt nullum susceperit bellum, ex quo non nisi victor rediisset; ipseque fortunam ita sibi deuinctam reddidisse videbatur, vt haec ipsum, tamquam corpus vmbra, sequeretur. Maxima haec ipsius potentia noua incrementa acceperat, ex quo prostratas, quorum potestatem consiliis suis valde inimicam verebatur, *Protestantium* vires, disruptamque penitus eorum societatem viderat; qua re tantus ipsi addebatur animus, vt, quem

sibi,

sibi, non dicam anteferendum, sed comparandum viribus arbitraretur, omnino inueniret neminem. Neque eo ipso tempore, cum *Protestantes* belli restaurandi consilia caperent, exteris sẽ bellis implicatum nouerat, vt ipsi viribus diuisis diuersis aduersariis satisfaciendum fuisset; quin potius omnes poterat neruos ad solos *Protestantes* opprimendos intendere. Huic autem insuperabili paene potentiae permagna fieri videbatur accessio ipsius Pontificis M. opera, qui, rem suam in debellandis cathedrae Romanae hostibus *Euangelicis*, agi, pulchre intelligens, omnibus contendebat viribus, vt, ad exstirpandos haereticos, omnes qui ipsi litabant, principes conspirarent. Quibuscum omnibus si exiguae *Protestantium* vires conferuntur, quidquid tandem contra tantum Imperatorem tentabant, id omne insipientiae magis quam prudentiae nomen mereri videbatur; quum iis, non de restauranda augendaque perfecta religionis licentia, sed de conseruanda potius vtcumque exiguae libertatis vmbra, cogitandum esset. Neque, conscius suae magnitudinis, Caesar multum motus *Protestantium* timebat, sed specie iuris, ne magis potentia quam sapientia ac aequitate, suos regere videretur, ipsos eneruare studebat; quamuis omnibus confitendum esset, Caesarem, si voluisset, vno quasi ictu omnem rem Lutheranorum eo tempore funditus euertere potuisse.

§. XIII.

§. XIII.

Sed modum me in proponendis, circa libertatem *Proteſtantium* reſarciendam, difficultatibus exceſſiſſe, aliquos reclamaturos ſuſpicor, qui exiguas per ſe utique fuiſſe *Proteſtantium* vires, nec reprimendae Caeſaris violentiae ſufficientes, concedent; minores Caeſaris viribus negabunt, ſi tamquam Angliae, Daniae, Galliaeque regum auxilio confirmatae conſiderantur. Atque ego non inficior, ineſſe huic argumento vim aliquam, quae eorum, quorum hactenus mentionem iniecimus, ponderi aliquantiſper poſſit detrahere; neque tamen tanti momenti hanc difficultatem eſſe iudico, vt ea, qua toti huic negotio ſingularem Dei prouidentiam vindicare conſtituimus, labefactari videatur demonſtratio. Eſto enim, haec omnia ita, prouti ab aduerſariis finguntur, eſſe comparata, non tamen ſingularem his regendis defuiſſe Dei prouidentiam, ſed illud modo demonſtrarent, non effrenata quadam audacia tam arduam rem aggreſſos eſſe *Proteſtantes*, vt de nullis, quae prudentia ſuadet, ad finem obtinendum mediis cogitaſſent. Quamuis enim diuinum auxilium ſumma cum fiducia exſpectare poſſimus, ea tamen lege Deus noſtris proſpicere rebus ſolet, vt ipſi quaſi vires noſtras commodemus, adeoque prouidentiam, vt ita dicam, adiuuemus; quo, quis

dicet,

dicet, diuinam excludi prouidentiam? Sed intelligo etiam, contradicentes mihi, de hoc ipso exterorum auxilio praeclarius, quam veritas permittit, sentire; facilius enim me probare posse arbitror, ipsos plurima, quae isto de auxilio pronunciant, non protrahere, vt par est, ex veris historiae monumentis, sed ea, quae ad motam ab ipsis difficultatem stabiliendam maxime faciunt, ad libidinem suam fingere. Pecuniam EDVARDVS Angliae rex, quam MAVRITIVS efflagitauerat, daturum promisit, modo, non de rebus ciuilibus, sed de religione bellum suscipi conuinceretur *). Ipsum vero hoc, quod dubitanter promiserat, praestitisse, id ego quidem nec affirmare nec negare audeo. Neque tamen perpetuis EDVARDI largitionibus se sustentatum iri, si, quod videbatur, bellum diuturnius foret, vlla ratione sperare *Euangelici* poterant **). Daniae vero rex

*) Conf. GILB. BVRNETI *Historiam reformationis Ecclesiae Anglicanae.* Part. II. Edit. Genev. p. 124. 25. Ipsas pactionis EDVARDI cum Germanis conditiones, qui 400,000 thaleros sibi expetierant, ipse EDVARDVS *in Diario suo*, quod in Collectione documentorum, quae huic Historiae suae parti BVRNETVS adiecit, reperitur, p. 26 exposuit; vbi, quamuis in hoc diario diligenter omnia notauerit, nullum tamen praestitae promissionis vestigium reperire potui.

**) EDVARDVS in diario p. 33: *In hoc praesertim negotioso saeculo*, inquit, *principibus potius accipere quam erogare pecunias necesse est.*

rex quid fecerit, id quidem me, fatebor enim, praeterit. Certe, praeter illud, quod apud Caesarem pro captiuis principibus interceſſerit, ſpemque, quam ab religionis ſimilitudinem et cum domo Saxonica affinitatem *Euangelicis* ſuccurrendi fecerit, nihil amplius ipſum praeſtitiſſe inuenio. Galli denique, propriae vtilitatis cauſſa, ſocietati ſe *Proteſtantium* adiunxerant; quam ſi obtinuiſſent, vix ipſos crediderim vlterius ab eorum partibus ſtaturos *). Finge autem Caeſarem, eam, quae ipſum Gallosque interceſſerat, diſſenſionem amice, ad tempus ſaltim, compoſuiſſe, quodnam quaeſo auxilium ſibi ab ipſis polliceri *Proteſtantes*

*) Notum eſt, Galliae regem, iam ante foedus cum *Proteſtantibus* Germanis initum, bellum Caeſari in cauſſa ducatuum Parmae ac Placentiae intuliſſe; de quo THVANVS *Hiſtoriarum* lib. VIII. p. 226. ſeqq et poſt ipſum P. DANIEL in *Hiſtoire de France* Tom. VIII. p. 23. ſeqq. conſulendus eſt. Poſt reſtitutam vero per pactionem Paſſauienſem *Proteſtantibus* religionis libertatem, regem Germanos perpetuo ad Caeſarem impugnandum incitare ſtuduiſſe, epiſtolae docent in *Theſauro Menckeniano* obuiae (not. 29.); in quibus iuſtructio foederis inter HENRICVM II. et Germanos ineundi comparet, qua legato maxime iniungit, vt Electores ad conferendam ſibi dignitatem imperialem commoueat. p. 1403. Quae omnia ſatis demonſtrant, regem non *Proteſtantibus* religionis ipſorum defendendae gratia ſuccurrere, ſed eorum potius auxilio ad fines ſuos obtinendos vti voluiſſe.

tes potuiſſent? Iſti vero, qui, haec pacis conſilia et Galliae regem et Caeſarem inituru fuiſſe, omnibus veriſimilia diiudicandi regulis repugnare autumant; nae illi neque verſipelle Gallorum ingenium, neque orta iam eo tempore inteſtina Galliae ob religionem diſſidia neque animum Caeſaris cogitant, quem leuia quaedam commoda citius exteris hoſtibus, virium ſuarum reficiendarum gratia, conſecraturum fuiſſe puto, quam conceſſurum, vt minores quidem principes, quos iam pedibus ſuis ſubieciſſe credebat, pacem ipſi inuiſam extorquerent. Sed comparandas etiam eſſe Gallorum vires cum Imperatoris potentia, qui haec nobis obiiciunt, non ſatis conſiderare videntur. Etenim huc uſque, multo ſuo cum detrimento, quantum Imperator poſſet, ſenſerant, neque diuturnis grauiſſimisque bellis quidquam ſe contra ipſum effeciſſe intelligebant. Num iam igitur credibile erat, laetiori fronte ipſos inertes reſpecturam eſſe fortunam? Quod ſi iam, ex inueterata quaſi conſuetudine, pedem referre cogerentur, num deſerti ac plane derelicti Lutheranorum principes, impetum tanti Caeſaris ſuſtinere potuiſſent? aut num putas, Caeſarem exoptatiſſimam, Lutheranorum principes, tamquam imperii hoſtes, qui multa absque imperii conſenſu Gallorum regi conceſſerant, funditus delendi, omnemque ipſorum religionem radicitus exſtirpandi,

di, occasionem de manibus fuisse dimisurum? Denique, quid MAVRITIO, qui maximas hac in re partes tenebat, metuendum fuisse dicam? cui IOANNEM FRIDERICVM, quem postea tanta cum laetitia a suis receptum esse nouimus *); dimittendo, multum negotii se facessere posse, tantamque inter ipsos *Euangelicos* hac ratione orituram esse dissensionem, non inepte Caesar animaduertere poterat, vt remota quae ad hanc rem necessaria erat, concordia, facile incautos debilitatosque opprimere posset.

§ XIV.

Magnae profecto hae difficultates videri poterant; maior tamen erat MAVRITII erga religionem pietas, maior suppressam *Protestantium* libertatem restaurandi cupido, maior denique in Deum cuius caussam tuebatur, fiducia, quam vt se a proposito dimoueri passus fuisset hic, cuius animi magnitudo omnes difficultates longissime superabat. Quam ob rem, omnibus diligenter sub rationis incudem vocatis, exercitum, cui hactenus praefuerat, contra Caesarem ducendum constituit. Qua in re admirabilis conspici potest Dei prouidentia, quae effecerat, vt MAVRITIVS imperium in copias diutius retinere potuerit, quibus ad obtinendum illud, quo intendit, vti optime poterat.

*) Conf. IO. SEBAST. MÜLLERI *Annales* des Churs und Fürstlichen Hauses Sachsen: p. 117. 18.

terat. Huic ipsius proposito ansam insignis ipsius Caesaris error, nimiaque securitas praebuit Quam quotiescunque intueor, non satis mirari queo, qui factum sit, vt tantus princeps, cuius magnum ingenium exellentissimaque prudentia omnium admirationem excitabat; qui, diuturna experientia, summam sibi rerum omnium peritiam comparauerat; qui sub imperii pondere aulaeque machinationibus consenuerat; qui morem principum, accepta omnia beneficia propriae vtilitati consecrandi, optime nouerat; qui hostes consiliis potius quam armis superare didicerat, et insigni quadam praeditus erat scientia, conatus inimicorum acutissimis eneruandi artibus, vt, inquam, tantus tamque sapiens Imperator viro, cuius virtutem, praestantissimasque animi dotes satis perspexerat; qui tanto amore in religionem Euangelicam ferreretur, ipso, quo a Caesare dignitate Septemuirali exornatus erat, tempore declarauerat, neque, omnia, defendendae huius religionis caussa, si opus esset, susceperurum se esse, celare aliquantisper potuerat; qui denique maxima inter *Protestantium* principes, depressam religionem restituendi vi eminebat, summaque cum captiuo Hassiae Landgrauio coniunctus erat affinitate; copias concredere potuerit, neque in ipso bello de auferenda ipsi rerum summa cogitauerit; quamuis, ad dolosa MAVRITII consilia intelligenda, exigua sane per-

perſpicientia indigeret. Qua in re tam grauiter labi potuiſſe Caeſarem, quum vix poſſim concipere animo; facile in eam ſententiam adducor, vt exiſtimem, ſupremum Numen noctem quamdam ipſius menti offudiſſe, vt, Deum ipſum ipſius conſilia deſtruxiſſe, appareret. Operae pretium videtur, rem ſicuti geſta eſt, paullo fuſius enarrare. Habebantur A MDXLVIII Auguſtae Vindelicorum comitia, in quibus Septemuiratum Saxoniae, cum omnibus ad ipſum pertinentibus, Caeſar MAVRITIO conferebat. Hoc commotum iri beneficio ipſum arbitrabatur, vt, quam his in ipſis comitiis confici Caeſar curauerat, fidei religionisque formulam, receptam ſua auctoritate ſibi ſubditis obtruderet. Huius rei gratia a principibus quibusdam MAVRITIVS, mox vero ab ipſo Caeſare, qui beneficia ipſi collata crebrius commemorabat, rogatus, ſemper ſe recepturum eſſe formulam, negauit, donec doctorum ſuorum, quibus ante comitia vindicias doctrinae purioris promiſerat, hac de re percepiſſet ſententiam *). Acrius quamuis poſtea Imperator inſtaret, impetrare tamen conſenſum MAVRITII non potuit; ſed hac ipſa eius pertinacia ſatis edoctus eſt, ipſum conſtantem fore Aug. Conf. defenſorem, ſibique, ſi diutius inſiſteret, inimiciſſimum. Eandem cantilenam, in comitiis

*) Vide SALIGII *Hiſtoriam Auguſtanae. Confeſſionia.* Vol. I. p. 567. ſeq., 576. et 77.

mitiis denuo Auguſtae A. MDL coactis, repetens MAVRITIVS, non aliter, quam libero, vt vocant, concilio impetrato, ceſſuros eſſe Lutheranos intrepide pronunciabat *), Neque tamen his omnibus Caeſar deterrebatur, quin potius, quum bellum Magdeburgicis indicendum eſſet, neminem, quem exercitui ſuo praeficeret, magis ad hanc prouinciam ſubeundam idoneum eſſe MAVRITIO iudicauit **). Equidem a MAVRITII conſiliis rerumque exitu Caeſaris rationes prorſus diſcrepaſſe cenſeo. Forte enim, hac in ipſum fiducia, eo magis MAVRITII animum ſibi conciliare, forte etiam, vt Lutheranos Lutheranis labefactaret, MAVRITIVM ſummum belli ſuſcipiendi ducem eſſe voluit Conſilii vero ſapientia quaemadmodum non ex auctoris ſui propoſito diiudicanda eſt, ſed ex iis, quae inde conſecutura praeſagiri poſſunt, commodis incommodisque; ita, ſi illud reſpicias, prudentia, ſin haec, inſipida parumque conſiderata Caeſaris conſilia fuiſſe iudicabis. Potuiſſet praeterea, ſi mens non laeua fuiſſet, ex ipſa Magdeburgi occupatione ſupra annum protracta, non inepte clandeſtina quaedam MAVRITII conſilia praeſtolari; nec in gurguſtio agebantur multa, quibus ille bellum minabatur. Ecquid enim ſibi voluit, quod dimiſſos

*) SLEIDANVS lib. XXII. pag. 630.
**) Ipſa haec verba ſunt, quibus Caeſar apud SLEIDANVM loc. cit. pag. 635. vtitur.

missos ex tradita Magdeburgicorum ciuitate milites rursus, alio licet sub nomine, conduceret? quod Magdeburgicos leniter, et amicorum instar magis quam inimicorum tractaret? quod cum Galliae regis legato, IOANNE PRAXINEO, Episcopo Baionensi, frequentius versaretur? quod Hassos in fidem iureiurando reciperet? Neque haec omnia fugere poterant Caesarem, praesertim quum litterae principum accederent, qui de excursionibus militum MAVRITII vehementissime conquerebantur. Sed tanta fuit Caesaris securitas, vt et MAVRITIVM exquisitissimis verbis excusaret, et sparsos rumores pro inimicorum calumniis venditaret *). Quae ipsa securitas maximam MAVRITIO fortunam protendebat, spemque afferre videbatur, fore, vt Caesarem imprudentem eo felicius opprimeret.

§. XV.

Quibus rationibus ad suscipiendum hoc bellum commotus MAVRITIVS, et quis fuerit

*) Litteras, in quibus haec commemorauit Carolus, integras Commentariis suis SLEIDANVS lib. XXIII. pag. 676. seqq. et le VASSOR p. 371. inseruerunt. Contineo me ab omnibus, quae in iis continentur, enarrandis, quae, si cum acuto Caesaris ingenio conferuntur, curam Dei, circa eius consilia euertenda, plane singularem ostendunt.

Inspicere, tamquam in speculum, in verba omnia *Iubeo, atque ex iis sumere exemplum* prouidentiae.

rit huius belli exitus, supra (§ V.) aliquantum me expoſuiſſe memini. Non tamen ſicco, quod aiunt, pede hic praetereunda videntur in ipſa hac expeditione varia, quae, ſingularem Dei curam, ſicuti in iis, quibus huic bello feliciſſimo praeluſit, ita in ipſo hoc opere peragendo, occupatam fuiſſe, extra omnem dubitationem poſuerunt. In quibus mihi prae reliquis plane videtur admirabile, quod paribus Caeſaris conſiliis et facinoribus, paria quoque Lutheranorum conſilia et euentus reſponderint. Haec vero diuinae iuſtitiae ſpecimina cum in multis aliis conſpici poſſunt, tum in hoc apparuerunt praecipue, quod, qui *Proteſtantes* inſidiis verborumque blanditiis decipere tentauerat Imperator, iam eodem modo, et ab eo quidem, quem neque inimicum ſuſpicatus erat, deceptus fuerit; quod maximam ipſi plagam princeps inflixerit, quem Saxonum familia, in quam Caeſar ſaeuierat maxime, procreauerat; quod denique ii, ipſis Caeſaris militibus vſi, detrimentum attulerint. Caeſarem enim *Proteſtantes* falſa ſpe detinuiſſe, eorumque preces vanis eluſiſſe promiſſionibus, nemo dubitabit, qui, quod ſupra diximus (§. IV.), meminerit. Iisdem vero artibus vſum eſſe MAVRITIVM, niſi alia bene multa, litterae tamen eius ad Caeſarem datae, quarum hic in ſuis mentionem iniicit (not. 38.) abunde teſtantur. Namque Caeſari, quid moliretur, ſciſcianti,

ſe

se ipsi semper fore deditissimum respondit, huiusque confirmandi gratia, et legatos se concilii caussa Tridentum missurum, et breui tempore iter ad Caesarem suscepturum esse, pollicitus est Iustam vero turbarum mouendarum suspicionem, ipsis militum suorum excursionibus excitatam, de quorum insolentia Caesar maxime conquestus erat, stipendiorum denegatorum caussa factos esse motus affirmando, declinauit. Quibus verbis misere bonum Imperatorem fefellit, vt. *nihil se a* MAVRITIO, *nisi praeclarum, exspectare debere*, diceret, *si modo vlla adhuc fides in rebus humanis supereſſet.* Ita, qui artificiosis consiliis verba *Protestantibus*, ipsique MAVRITIO, dare constituerat, eadem illa astutia a MAVRITIO Saxone scientissime circumuentus est. Neque id sine singulari dei nutu. Inter omnes enim Germaniae ordines, non erat, cui Caesar plus facesserat negotii, quam illustris Saxonum familia, cuius tamen summa alioquin in se merita exstare Caesar non ignorabat. FRIDERICVS enim, ille Saxonum Septemuir, quem omnes vno ore consentiunt, primarium Germaniae fuisse virum, vnice Imperialem dignitatem Carolo comparauerat. Huic vero, ipsiusque successoribus, quas quaeso Imperator gratias retulit? Scilicet, ipso adhuc viuente, edicto Wormatiensi Lutherum suosque asseclas, adeoque FRIDERICVM etiam, exstincta tanti beneficii me-

moria, proscripsit. Isto autem mortuo, quum frater ipsius IOANNES, qui summo iure nomine Constantis appellatus est, eiusque egregius, infelix licet, filius, IOANNES FRIDERICVS, fere vnici essent, qui libertati Germanorum inhaerebant quam Caesar nefarie opprimere conabatur, omnemque Caesaris inclementiam in se recipere, quam Germanorum libertatem funditus euerti maluissent, quamquam, si ab hac sola re discesseris, omnia Caesari lubenti animo praestarent; summo ipsos odio prosecutus est, vsque dum armis, ipsisque principibus *Protestantium* abusus, IOANNEM FRIDERICVM de Imperii fastigio deiiceret, eiusque dignitatem, vti diximus, cognato ipsius, MAVRITIO, conferret. Sed idem ille MAVRITIVS, quem tot tantisque sibi deuinctum reddidisse Caesar existimabat beneficiis, eandem, quam Caesar calcauerat, viam ingrediebatur. Caesar FRIDERICVM eiusque familiam, cui omnen in Germania dignitatem debebat, summa acerbitate prosecutus est; MAVRITIVS beneficium a Caesare acceptum prorsus negligens, quamuis suam ipsi dignitatem acceptam referret, grauissimo vulnere saucium Imperatorem reddidit. Ille fulminibus domum Saxonicam maxime concusserat, hic, generis sui gloriam vindicaturus, tela quasi in Caesarem retrorsit. Ille Augustanae Confessioni addictos principes, a rebus Smalcaldicorum abalienatos, tantum non om-

omnes, ad vim *Proteſtantium* infringendam adhibuit; hi vero iidem illi erant, quorum iam vnitis viribus, maximae Caeſaris vires proſtratae ſunt, iisdem illis militibus, quos, Caeſari ſtudentes, contra Lutheranos eduxerant. O ſtupendam iuſtitiae diuinae profunditatem! Quam abſcondita ſunt Dei iudicia! Quam occulti, quibus incedere ſolet, tramites!

§. XVI.

Excellit ipſa haec aduerſus Caeſarem ſuſcepta expeditio admirabilibus diuinae prouidentiae veſtigiis, quorum, ne de ſecuritate Caeſaris plura commemorem, quae eo vsque progreſſa eſt, vt, appropinquante iam MAVRITIO, ne defendendo quidem corpori ſuo ſatis proſpexerit non niſi duo ex multis, breuiter attingenda, notabo; ex quibus id poterit intelligi accidiſſe, quod omnium hominum exiſtimatione et iudicio ſublimius eſt. Horum alterum, felices MAVRITII progreſſus ſpectat, alterum inſuetum Caeſaris et Ferdinandi timorem, eorumque de pace conſilia. Quamuis enim exigua manu, quippe quae vix numerum viginti quinque millium excedebat, MAVRITIVS Caeſarem adoriretur *); huius tamen auxilio, vix duorum menſium ſpatio, omnes, quas in

*) GEORG. ARNOLDVS in *vita Mauritii* p. 1229. apud MENCKENIVM.

in itinere obuias habebat, urbes occupauit, Caesarisque funditus prostrauit exercitum. Erat tamen, quod, quo minus exercitu vsque ad Caesarem pertingeret, impediebat, castellum aliquod, ipsa natura contra omnes impetus munitissimum, quod Ehrenburgum appellatur, quodque superari posse nemo vnus crediderat, nec ipse Caesar, cui, hoc ipso occupato, summum imminebat periculum. Hoc quamquam retardare videbatur MAVRITII progressus, tanta tamen hanc arcem, quae aditum ad Austriacorum regiones aperiebat, alacritate adgressus est, vt primo statim impetu, interemtis captisque tribus aut quatuor millibus militum, qui praesidio ipsi impositi erant, ex suis vero vix decem quindecimue amissis *), felicissime ipsam occuparet. At quum iam eo tenderet, vt Caesarem summa celeritate Oeniponte opprimeret, accidit noui aliquid, quod totam expeditionem in nihilum quasi redigere, omniaque MAVRITII consilia prorsus euertere potuisset. Repente enim seditio facta est militum, qui summa vehementia stipendia postulantes, nec ipsum MAVRITIVM globulis sclopeto emissis transfigere dubitabant **). Nihilo tamen minus, placatis paullisper animis Oenipontem cum suis pro-

*) Cf. WILHELMI, Hassiaci principis, relationem de hac Ehrenburgi occupatione apud HORTLEDERVM, l. c. p. 1313.

**) SLEIDANVS lib. XXIV. p. 707.

properat, vnde vix Caesar cum fratre, noctu turbidaque tempestate, per praerupta loca, atque asperrimas vias, aufugerat. Hic dici vix potest, quanto timore perterritus fuerit, facileque vrgente necessitate adducebatur, vt in pacis conditiones, quas olim vix ac ne vix quidem attenderat, libentissime consentiret. Quod si iam ea, quae supra de exiguis *Protestantium* viribus (§. XI), et insigni Imperatoris potentia (§. XII.) disserui, cum mirabili eius fratisque sui timiditate comparentur; vix credibile est, tantum Imperatorem, qui non vinci, sed vincere vbiuis consueuerat, qui antea *Protestantes* vnico quasi ictu prosternere posse videbatur, tam subito omni paene animo potuisse destitui, vt hostes non indutiis detinendos, aut contractis, quod facile fieri poterat, copiis ad mitiores pacis conditiones ineundas adigendos esse putaret, sed ipse inimicis fere propensior ad quietem videretur. Maximum vero iam ipsum bellum anteceſſit FERDINANDI de bello anteuertendo studium. Vix enim bellum parare MAVRITIVM perceperat, quum, multum ex alacritate eius detrimentum praesentiens, per legatum suum maximis precibus impetum deprecatus *), dulcissimis persuasionibus vltro aequas indutiarum leges offerret; quibus, MAVRITIO propius accedente, atque comprobante FERDINANDI augurium felicissimo armo-

*) SLEIDANVS lib. XXIV. pag. 701.

armorum MAVRITII ſucceſſu, acrius inſiſtere coepit. A quo quum impetraſſet, vt, inter ipſum armorum ſtrepitum, Lintium, pacis conciliandae gratia veniret, poſt expeditionem MVRITII Oenipontinam, pulchre intelligens, niſi perpetuum liberumque religionis exercitium Euangelicis concederetur, non fore vt ipſi acquieſcerent, ipſum Paſſauium inuitauit, vbi Caeſare conſentiente leges illae in Lutheranorum haud leue emolumentum conditae ſunt, quarum iam ſupra (§. V.) mentionem iniecimus.

§. XVII

Pacata iam videbantur omnia, perpetuamque religionis ſuae excercendae licentiam, tandem aliquando obtinendam, auidiſſima cupiditate, ſummaque fiducia, *Euangelici*, requietis interualla habentes, praeſtolabantur. Nullus timor, nullaque animis ipſorum infixa dubitatio eiusmodi ipſis inſtillabat ſcrupulos, vt, pacem exoptatiſſimam certisſime ſe impetraturos eſſe, formidoloſius dubitaſſent. Nouerant mutabile Caeſaris ingenium, qui, quamuis Imperatori, ſi nemini vlli, promisſis ſtandum eſſe, ſatis olim magnifice pronunciaſſet, multis tamen sciebat artibus conſiliisque denegatam *Proteſtantibus* fidem excuſare; eumque, in anguſtiis poſitum, pacem pollicери, periculo exemtum, bellum minari ſolere, triſti ſatis experientia didicerant. Tan-

ta

ta tamen erat eorum ſecuritas, tanta de animi ipſius magnitudine, deque Dei, quem rerum ſuarum moderatorem, et requietis quaſi architectum nouerant, fiducia, tanta denique in obſeruandis pacis conditionibus, iuſtitia, vt iis, quae promiſerant, diligenter inhaerendo, Caeſaris fidem iuſtitiamque quaſi anticipare conſtituerent. Huius animi declarandi gratia ipſe MAVRITIVS, cum iis, quae in fide manſerant, copiis, FERDINANDO ſatisfacturus, in Hungariam, contra Turcas, abiit; poſtea vero ALBERTVM Brandenburgicum, ſuis alioquin partibus fauentem, quod arma poſt pacem deponere nollet, ipſis armis ſuis perſecutus eſt. Hinc funeſtae illae contentiones, in quibus et ipſae Lutheranorum vires debilitatae ſunt, et immortalis memoriae princeps, MAVRITIVS, in maximum, vt videbatur, eorum detrimentum, periit. Eodem fere tempore rebus humanis ereptus eſt, pius emendatae religionis propugnator, EDVARDVS Angliae rex, in cuius locum ſubſtituta, ſuperſtitioni deditiſſima MARIA, ferro flammisque huius religionis, aſſeclas exſtinguere conabatur. Rebus denique ſuis Aug. Conf. addicti, pace cum Caeſare inita, Gallorum regem abalienauerant, cuius auxilio deſtituti, ſi fidem datam Caeſar ſeruare noluiſſet, ſuſtentare Caeſaris impetus poſſe non videbantur. Quamuis autem his omnibus ex gradu ſuo quaſi deiecti eneruatique viderentur

tur *Euangelici*, neque esset, si a Deo discesseris, quisquam, in quo spem suam collocare potuissent, tanta tamen animi fortitudine fidei a Caesare datae institerunt, vt ipsos, non armis, sed leniori quadam mansuetudine, pacem Caesari FERDINANDO que extorsisse diceres; adeo vt omne potius vehementissimum Pontificis Romani odium in se suscipere, quam pacem ipsis denegare maluerit. In quibus singulis efficiendis quanta fuerit diuina prouidentia, nunc placet distributius demonstrare.

§ XVIII.

Vix iacta erant pactionis Passauiensis fundamenta, quum noua procella oriretur, quae, nisi summam, magnam tamen *Euangelicis* stragem attulit. Steterat huc vsque ab eorum partibus ALBERTVS Culmbacensis Marchio, princeps vindicandae religionis minus, quam molestiae, hostibus in religione dissidentibus excitandae, studiosus, cuius inquieti animi indoles parum saepius a crudelitate remota videbatur. Hic, quum MAVRITIVS ad defendendam emendatae religionis caussam litteris Germaniae Proceres adhortatus esset; pariter scriptum in vulgus dederat, in quo animum bello et rapinae inhiantem pietatis specie obumbrauit. Quo facto, dum MAVRITIVS bello Caesarem aggreditur, terras Franconiae horrenda vastatione depopulatus est. Pace autem Passauii

uii Caesarem inter et *Euangelicos* conciliata, talis rerum mutatio ALBERTO, cui bona Pontificiorum diripiendi erepta videbatur occasio, stomachum mouit, ita vt vehementius, quam antea fecerat, Germaniae regiones, maxime vero contrariae partis Episcoporum misere deuastaret multaque templa incendendo, vrbes destruendo, maximas pecunias exigendo, aliisque belli facinoribus, crudelitatis, ne dicam barbariei documenta ederet *). Qua in re eo vsque progressus est vt Caesar ipsum repetita vice a Camera Imperiali proscriptum, variis Germaniae principibus bello persequendum traderet. Displicuit *Euangelicis* nimia ALBERTI vehementia; publice igitur haec omnia detestati **) eum, tamquam communis quietis turbatorem vi armisque coercendum susceperunt. Hoc tum a Noribergensibus factum est, qui vexatorum Episcoporum copiis se, ad impugnandas ALBERTI regiones adiunxerant, nec multum curabant, quid de

*) Pleni sunt harum rerum annales. Qui summam earum desiderat, euoluat litteras MAVRITII, librosque a Noribergensibus ad ALBERTVM eo tempore editos, illius apud SLEIDANVM lib. XXV. p. 734 seq., horum apud eumdem p. 738. seq. et 756 seqq.

**) Vide excerpta litterarum, quibus FERDINANDVS et MAVRITIVS causas belli contra ALBERTVM expoſuerunt, in MENCKENII *Scriptoribus rerum Germanicarum* Tom. II. p. 1445. 46. Ampliores litteras dedit SLEIDANVS lib. XXV. p. 734. seqq.

de defectione ipsorum ad Pontificis doctrinas, ipsa hac vnione declarata, ALBERTVS clamitaret; tum a MAVRITIO in primis, qui, perfidia iniustitiaque ipsi exprobata, eum, quum pacem recusaret, bello adoriebatur. Quod bellum, incertum est, an rebus Lutheranorum emolumentum maius, an detrimentum attulerit. Quousque enim salua stabit turbis et dissidio labefactata respublica? aut quis est dolor tam exiguus in praecordiis saeuiens, quin vsque ad necessitatem mortis aliquando deducat? Maximi imperii contextus, disruptis, quibus constringuntur, vinculis, multas quasi in partes dissiliunt, et quae societas, vnitis ciuium viribus, omnium reprimere impetus poterat, dissociatis eorum animis, sese hostibus diripiendam destruendamque propinat. Nihil igitur ad societatem Lutheranorum, imbecillam parumque confirmatam, penitus euertendam requiri amplius videbatur, quam intestini in ipsa tumultus; et bella hinc Caesari nascebatur, incautos debilitatosque inimicos opprimendi, occasio. Neque adeo deliraſſe nostros existimes, ac si, se sibimet ipsi vulnus hoc ipso bello infligere, non perspexissent. Perspexerunt vtique; sed nihilo minus de pactione, etiam cum verisimili suo detrimento seruanda, reprimendisque ALBERTI, qui Aug. Confessionis hostibus se alioquin strenue opposuerat, insultibus magis, quam de vrgenda pace, iam per duos fere

fere annos ab Imperatore dilata, declinandoque suo interitu, cogitarunt. Id quod magno argumento esse potest, hos Ecclesiae nostrae conditores paci, abstinentiae, aequitati et iustitiae adeo studuisse, vt ne ipsis quidem partium suarum hominibus pepercerint, suasque prius vires, ad impetrandam tamen perpetuam religionis pacem necessarias, ipsi labefactare, quam pacem vlla ratione laedere, aut leuiter duntaxat obseruare maluerint *). Fide enim ac sinceritate, non armis aut fraudulentia; pietate legumque custodia, non vt aut clandestinis consiliis animum Caesaris flectendum esse putabant. Vitia et in suis oderant, suppressis,

*) Qui nullam facile, fidei nostrae homines iniquius lacessendi, occasionem praetermittit, portentosi ingenii scriptor, GODOFREDVS ARNOLDVS, diuersam plane a nostra rationem, hoc cum ALBERTO bellum diiudicandi, iniit (in der unpartheiischen Kirchen- und Ketzer-Historie. Part. II. lib. XVI. Cap IV. §. 15.) Nomen quod huic bello conuenientissimum esse arbitratur, *execrabile latrocinium* est, mortisque MAVRITII caussa, vehementissimum eius turbulentumque ingenium. Nolo in examinando hoc ARNOLDI iudicio tempus chartamque consumere; id vero crediderim, MAVRITIVM suosque omnium hominum stultissimos fuisse, si, feruore pugnandi abrepti, non pacis vindicandae gratia bellum suscepissent. Nobiliorem fuisse MAVRITII finem, nemo negare potest, nisi qui hoc bellum per se, nec in nexu cum rebus gestis MAVRITII antecedentibus considerauerit.

sis, etiamsi hostes essent, succurrebant. Hoc ipso exemplo luculenter docuerunt, ineptam esse eorum suspicionem, qui Lutheranorum principes bellum suscepisse multosque excitasse tumultus existimarunt, vt ciuilia emolumenta pararent, vt bona sacra semel occupata sibi vindicarent, vt occasionem plura vi armisque sibi arrogandi nanciscerentur. Quorum vitiorum qui reos ipsos existimant, hos equidem nescio, an satis, quid affirment, perpenderint Quis enim censendos putaret hos principes, si reportatae semel religionis licentiae acrius institissent, nec pacem permisissent ad comitia differendam? Quem ipsis crimen periurii obiecturum fuisse putas, si ab opprimendis suis abstinuissent? Quis ipsis vitio potuisset vertere, si de conseruanda republica sua amoliendisque internis dissidiis fuissent solliciti? At bellum suscipiunt, vt pacem impetrent; pace impetrata arma deponunt. Pacem quaerunt, vt Deum more suo colere possint: hoc concesso, de obtinendis ciuilibus emolumentis non cogitant. Pacem armis restituunt; pace restituta, armis suis non nisi eos, qui ipsam turbauerant, prosequuntur, membraque, quae offensioni esse videbantur corpori, rescindunt. Sic visum est sapientissimo numini, veros piosque causae suae patronos ab impiis secernere. Sic rebus Eccleſiae suae prospexit, vt quae ipsi detrimento esse videban-

debantur, in summam laudem vtilitatemque cesserint.

§. XVIIII.

Maximum in toto hoc bello vulnus Lutherani funesto MAVRITII interitu acceperunt, qui, quum apud Siuershusum cum ALBERTO Culmbacensi manum conseruisset, globulo transfossus paullo post exspirauit. Ita MAVRITIVS, non contra Ecclesiae persecutores, nec restaurendae religionis gratia, sed contra eidem fidei addictos, inuitus tamen, pugnans, periit! Ita, qui vitam omniaque pro defendenda vera religione impenderat, non ea felicitate potitus est, vt morte pietatem suam confirmasset, sed fidem Caesari datam vltro propugnans, pro inimicis, pacem quasi sanguine suo obsignans, interiit, non hostium manu aut fortitudine, sed eorum, quorum caussam tanta cum virtute egerat, facinore! Cecidit cum isto dux, quo nemo ad rem *Euangelicorum* restituendam vindicandamque aptior videbatur *), ipsoque exspirato omnis fere eorum de recuperanda pace spes exspirabat. Successor declaratus erat frater ipsius AVGVSTVS, qui magna quidem prudentia excellebat, sed tanto animi robore, et, vt ita dicam, ad tantum opus perficiendum necessaria vehementia praeditus non erat.

*) Hoc ipso eum testimonio Galli exornarunt in epistolis apud MENCKENIVM pag. 1426.

erat. MAVRITIVS dotibus propugnatoris ecclesiae egregie instructus, bello fortis erat animoque strenuus; AVGVSTVS vero pacem magis quam bellum sectabatur, neque armis sed consiliis parandam esse pacem existimabat. Accedebat, quod de obtinenda Septemuiratus dignitate. Saxonumque regionibus AVGVSTVM inter et IOANNEM FRIDERICVM nondum conuenerat *); id quod non exiguam *Protestantibus* discordiam excitare videbatur. Fulcro igitur suo quum se sentirent destitutos, et auctum potius quam diminutum iri interna dissidia opinarentur Aug. Confessioni addicti, non leue illis imminebat periculum. Effecit tamen prouida Dei O. M. cura, vt, quae ad detrimentum ipsorum inclinabant, dissidia mox componerentur, mortemque MAVRITII viri fortissimi, AVGVSTI sapientia et moderatio compensaret **). In eo enim AVGVSTVS cum IOAN-

*) Viuo adhuc MAVRITIO dimissum ex vinculis IOANNEM FRIDERICVM reddendam sibi ablatam dignitatem postulasse, CHESIVS refert. epist. 13. apud MENCKENIVM l. c. p. 1439; ipsique auxilium suum promisisse ALBERTVM, in aliis litteris p. 1409. relatum legimus. Eamdem mortuo MAVRITIO ab AVGVSTO, consentientibus terrarum Saxonicarum proceribus, repetiisse THVANVS memorat *Historiarum* lib. XI. p. m. 328.

**) Varia de AVGVSTO I. Electore Saxoniae, meritissimus scholae Grimmanae rector M. HENR. AVG. SCHVMAGHERVS binis Programmati-

IOANNE FRIDERICO, in conuentu Numburgi A. MDLIV. habito, conſenſerat, vt hic, miſſo dignitati priſtinae nuncio, eam, *nati Electoris* nomine, quibusdam Saxoniae ciuitatibus, et 100,000 florenorum pretio, contentus, AVGVSTO ipſiusque poſteris concederet *). Placidum vero ac mite AVGVSTI ingenium effecit, vt non armis propagata, aut vehementia quadam parata pax religionis videretur, ſed maior eluceſceret Dei ſapientiſſimi prouidentia, qua factum eſt, vt pacem *Euangelici* impetrarent tali tempore, quo ab omnibus deſtituti, ſuorumque hoſtium violentiae omnino expoſiti videbantur.

§. XX.

Ita res *Euangelicorum* poſt pacem Paſſauiae ſancitam comparatae erant; quas qui attento animo conſiderabat, non poterat non iudicare, hunc coetum in eumdem fere, ex quo vix ope MAVRITII conualuerat, morbum recidiſſe. Exigua enim ſocietas, quae inteſtinis diſſipatur contentionibus, capiteque ſuo orbata eſt, non poteſt profecto fortiſſimorum hominum impetus ſuſtinere, nec ab iis id, quod dare ſua ſponte nolunt, vi armisque impetrare, quae vix, vt ab interitu ſe tueanter, ſufficiunt. Maiori iam in

matibus congeſſit, quae Lipſiae ao. 1751. 52. prodierunt.

*) Conf. MÜLLERVM *in Annalibus Saxonicis.* p. 122. Integram pactionis formulam HORTLEDERVS exhibet l. c. p. 968. ſeqq.

in anguſtia verſabantur Aug. Conf addicti quam eo, quum imperatorem poſt bellum Smalcaldicum adorti eſſent, tempore. Tunc enim, aliorum auxilio animati Caeſarem, nihil tale metuentem, alienis laceſſere armis, nunc neque ex Gallia neque ex Anglia vllum exſpectare auxilium poterant, nec tuto Caeſarem melius ſibi propicientem adoriri, quin potius hos ipſos principes ad interitum eccleſiae ſuae conſpiraturos eſſe, ex eorum inimicitia, et ad perſecutionem *Proteſtantium* impetu, non inepta diuinatione coniiciebant. Morte enim immatura exſtinctus erat optimae ſpei rex Anglorum EDVARDVS, qui, dum viueret, non ſolum fuerat de emendenda ad exemplar LVTHERI Eccleſia Brittannica maxime ſollicitus, ſed ſuae etiam fidei ſocios extra Angliam degentes auctoritate ſua ſuſtentare non intermiſerat. Succedebat ipſi MARIA, cuius animus ſumma ſuperſtitione, et in eos, qui auitae religioni renunciauerant, crudelitate imbutus, initumque poſtea cum PHILIPPO Hiſpanorum rege matrimonium, eam non amicam emendatae religionis profeſſoribus, ſed rebus ipſorum inimiciſſimam portendebat. Neque maiorem ſpem concipere poterant *Euangelici*, fore vt rex Gallorum ipſis aliquas ferret ſuppetias *). Non ſolum enim

*) Lapſum me eſſe haec aſſeuerando dicent forſitan, quibus litterae a MENCKENIO editae

enim Passauii paciscendo cum Caesare iram eius summopere concitauerant, sed animum quoque Pontificiae religionis principiis acriter inhaerentem, summo ardore HVGONOTTAS, vt vocabantur, persequendo declarauerat *), nec vllum erat dubium, ipsum ad exstirpandam potius emendatam religionem; quam ad efferendam illam et stabiliendam studia sua esse collaturum. Magno haec fateor, detrimento *Protestantibus* esse videbantur, dum neque intus muniti satis, neque exteriori quodam saepimento tuti ab hostium impetu erant; sed illud ipsum, quanta fuerit Dei in custodienda promouen-

tae saepiusque laudatae innotuerunt. In his enim id summo studio Gallorum rex agit, vt *Protestantes*, post pactionem Passauiensem, ad Caesarem bello persequendum commoueat, nec se suo auxilio ipsis defuturum polliceatur. Neque tamen hoc meae cauſſae adversari putauerim. Praeterquam enim quod non pacem religionis hoc ipso *Euangelicis* comparandam, (de qua hic quidem locutus sum) sed vires Caesaris, quem ALBERTI partibus contra *Protestantes* fauere, rex arbitrabatur, debilitandas, eiusque dignitatem sibi suisue conferendam intenderit; omnes hae epistolae vel viuente adhuc MAVRITIO, vel paullo post mortem ipsius exaratae sunt, neque post initam AVGVSTI cum ALBERTO pacem, Galliae rex de succurrendo *Euangelicis* amplius cogitauit.

*) P. DANIEL *Histoire de France*. Tom. VIII. p. 290.

mouendaque hac religione cura, egregie demonstrauit. Pluribus enim ad vnum eumdemque finem efficiendum caussis conspirantibus, id earum multitudine efficitur, vt, cui omnem attentionem, si vnica adesset, consecrassemus, iam, diuisa dumtaxat contemplatione, inclinatis ad reliquas caussas animi nostri viribus, pensitemus. Contra vero, si vnicam ad hunc, reliquas ad contrarium finem efficiendum tendere, intelligimus, non his, sed illi soli, effectum, si subsequitur, assignandum esse, perspicimus. Maximae igitur et admirabilis sapientiae divinae documentum est, quod in illud adduci discrimen res Lutheranorum voluerit, vt, depulsis impedimentorum nebulis, paceque post varias huius ecclesiae vicissitudines conciliata, quum ad interitum eius omnia conspirare viderentur, non hominum curis aut sapientia, nec humanis viribus tantam pacem procuratam esse appareret, sed sola Dei sapientia et benignitate conditam.

§. XXI.

Quamquam autem nostri, neque ex aliorum auxilio aliquid, ex comitiis vero, iusto quam sperauerant longius dilatis, parum boni sibi polliceri poterant; his omnibus tamen quasi infra fiduciam positis, tam parum de adsciscendis foedere aliis cogitarunt, tantaque cum moderatione et securitate quasi res suas egerunt, ac si Deus ipsis certissimum

mum aliquod monstrasset periculum effugiendi remedium, illiue diuina quadam coniectura laetum suarum exitum praesagiuissent, neque credidissent, sibi Caesarem, sed Caesari se pacem largiri opertere, vere vt dicere liceat, numquam fortiori animo et maiori fiducia nostros fuisse, quam tunc, quum omni spe omnibusque viribus destituti viderentur. Saepe multumque ante susceptum bellum Smalcaldicum ipsos inter et eos, qui ZWINGLIVM ducem in emendanda religione sequebantur, de vtrorumque dissentientium doctrinis conciliandis deliberatum erat, tantoque saepius cum fervore, vt paene, ob dissidia inde excitata, ipsi illi, qui foedere se Smalcaldico coniunxerant, dilaberentur. Minori tamen eo tempore necessitate vnionis vrgebantur; iam vero vix vllum supererat, nisi ad Heluetos reliquosque doctrinam ipsorum secutos, refugium; de quibus tamen secum coniungendis nostri ne fando quidem cogitabant. Summa interim animi tranquillitate comitia Augustae Vindelicorum habenda exspectabant, remque tam implicatam, et ad perpetuum suum vel emolumentum vel detrimentum idoneam, tam leuiter tractare videbantur, vt neque sperandam esse a Caesare pacem religionis perpetuam opinarentur, neque horum principum aliquis se ad comitia conferret; quamuis humanissime, vt ipsi accedentes, pro

ſtudiorum conſortio manum commodarent, FERDINANDVS expetiiſſet, ipſique ſua forſitan praeſentia poſtulata ſua quaſi animare potuiſſe viderentur. In conuentu autem Numburgenſi, ſe ne latum vnguem ab Auguſtana Confeſſione receſſuros, aut vlla ratione formulam *Interim* recepturos eſſe, quodam ſe codicillo obſtrinxerant *). Qua in re ſingularem Dei prouidentiam obtinuiſſe perſpicuum eſt. Quamquam enim funeſta inter nos fratresque noſtros, qui ſibi nomen *Reformatorum* ſumſerunt, diſſidia vehementer doleamus, optandumque eſſet, ſi quidem id poſſet fieri, vt, qui eidem Pontificis iugo ſe ſubduxerunt, eodemque iuſto in ipſius doctrinas odio feruntur, fine discordiis, quibus perpetuo diſtracti fuerunt, impoſito, in eandem ſe communitatem reciperent; illud tamen, niſi alterutrius partis fautores nuncium ſuis doctrinis mittant, optare nefas, ſperandum vero profecto non eſt. Et ideo ego illos exiſtimo peſsime huic coniunctioni conſuluiſſe, qui ambiguis quibusdam loquendi formulis animos diſſidentes fraudare, totamque vniendarum partium compagem tam carioſo fundamento ſuperſtruere voluerunt; hoc enim quid aliud eſt, quam pace, ſpecie quidem blanda, ſed reapſe multis locis repudianda, vtramque peſſum dare? Tantum igitur abeſt, vt, fruſtra

*) Legitur apud LEHMANNVM *in actis de pace religionis.* lib. I. c. 27.

ſtra de hac re laboraſſe quosdam Reformationis tempore, doleam, vt id potius ſingulari bonitati ſapientiaeque diuinae tribuendum eſſe exiſtimem, quae impediuit, quo minus hoc modo, maxime ante pacem religioni noſtrae publice datam, vtraque horum diſſidentium pars conſenſerit. Hoc ipſo enim factum eſt, vt ſumma doctrinis noſtris puritas manſerit, vt multae in coetu noſtro diſſenſiones denuo oriturae praeoccupatae quaſi, vt cautum denique fuerit, ne quis, vi armorum aut aliorum auxilio, non ſolo Deo procurante, pacem religionis nos impetraſſe, diceret. Neque tamen omnis conſtantia derelictis noſtris principibus excidit, quin potius, quanto grauiori pondere deprimi viderentur, tanto ſe audentius ipſorum fortitudo erexit; quae tunc certe fuit maxima, quum ipſi Pontificiorum principes noſtrorum voluntati, aequis admodum et tolerabilibus modis, cederent. Quamuis enim credendum fuiſſet, Lutheranos viribus debilitatos, neque in aliorum auxilio inniſos, Caeſari aliquantiſper in comitiis ſubiecturos ſe eſſe, vt cum iisdem contentos fore, quae legati Caeſaris, et in his FERDINANDVS ipſis, vel inuiti, conceſſerant; et ipſo tamen tempore acerrime inſtiterunt; licet verendum eſſet, nimio eorum rigore effectum iri, vt comitia penitus disrumperentur, Romanaeque Eccleſiae addicti inde occaſionem ſumerent, ipſis, cum

cum veritatis et aequitatis ſpecie aliqua, pacem plane denegandi, quam vehementius obloquendo noſtri detrectaſſe viſi fuerant. Iccirco inter inſignia ſingularis curae diuinae ſpecimina, quibus religioni noſtrae conſeruandae proſpexit, referendum eſſe arbitror, quod ſapientiſſima rerum gubernatione effecerit, vt haec omnia non ſolum comitia ſemel inchoata non diſſipauerint, ſed abunde demonſtrauerint etiam, quum ex omnium iudicio exitioſus rerum noſtrarum exitus immineret, Deum, non homines, pacem *Euangelicis* dediſſe.

§. XXII.

Multum conferebat ad felicem horum comitiorum ſucceſſum FERDINANDI Romanorum regis ingenium, proque pace reſtauranda minuendisque contentionibus labores. Huic enim, quum, Deo ita dirigente, a Caeſare regenda comitia tradita fuiſſent, contigit, vt indefeſſo ſtudio ſuo inueteratis illis de religione diſſenſionibus exoptatiſſimum finem imponeret. Neque profecto meliorem litis ventilandae arbitrum vel cogitatione fingere noſtri potuiſſent, quam hunc ipſum FERDINANDVM, principem conciliandis animis obſeruandaeque paci atque aequitati ſtudioſiſſimum, cuius lenitatem animumque, ab emendanda religione non alie-

alieniſſimum *), iam ſaepius experti erant, qui LVTHERVM ſequebantur, principes. Quotiescunque enim rigidioribus mandatis in homines noſtros inuectus erat CAROLVS Imperator, horum dictorum acerbitatem FERDINANDVS, quamuis mitia ſua et leniora conſilia parum fratri approbaret, ſingulari quadam ſapientia mitigare, ſibique animos *Proteſtantium* amiciores reddere didicerat. Neque fugere FERDINANDVM poterat, quantum ſubigendis repellendisque Turcis, aliisque nominibus, de ſe meritus eſſet MAVRITIVS, qui maiori in pretio habere FERDINANDVM vel eo declarauerat, quod, quum, occupato Oeniponte, omnes Caeſaris ſuorumque fortunas militibus diripiendas tradidiſſet, ſolius FERDINANDI ſupellectile abſtinere milites iuſſerat **). Ipſam vero pacem conceden-

*) Nolo ad comprobandam hanc FERDINANDI mentem ad iſtas litteras prouocare, quas ad ipſum LVTHERVM A. MDXXXVII. Calendis Februarii ſcripſiſſe fertur. Quamuis enim non pauci fuerint, qui de ipſarum fide non dubitauerint: aliis tamen, idque non ſine ratione, ſuſpectae viſae ſunt. Pluribus diſſeruerunt de his litteris SECKENDORFFIVS in *Commentario de Lutheraniſmo.* lib. III. Sect. XVI. §. 58. Add. I. pag. 162. ſeqq. et SALIGIVS *Hiſtoriae Aug. Conf.* Vol. III. p. 4. ſeqq. Neque his litteris indigemus, quum omnia fere comitia, quibus FERDINANDVS praefuit, hunc eius animum indolemque loquantur.

**) SLEIDANVS lib. XXIV. p. m. 708. et ARNOLDVS in vita MAVRITII pag. 1232.

cedendo *Proteſtantibus*, licet Pontificis, qui, ſub auſpiciis comitiorum, IVLIVS III. erat, indignationem ferre ſe oportere FERDINANDVS intelligeret; hac tamen ipſa occaſione ad illatam ſibi ab ipſo iniuriam vlciscendam vti opportune poterat *). Neque etiam deerant rationes, quae perſuadebant FERDINANDO, in his ipſis comitiis paci inter diſſidentes conficiendae tanto magis eſſe incumbendum, quanto arctiori vinculo haec pacis conſilia cum ſua ipſius ſalute coniuncta erant. Namque praeter hoc de religione emendata permittenda negotium, conſtitutum ipſi erat procerum implorare aduerſus Turcas, omnem Hungariam infeſtantes, auxilium, quod, niſi pacem diu quaeſitam Lutheranis concederet, nulla ſe ratione impetraturum eſſe nouerat. In eo praeterea erat CAROLVS Imperator, vt, nullam imperio turbulento ſalutem eſſe perſpiciens, quietis obtinendae gratia deponendum imperii clauum meditaretur. Quum igitur prima ſpes FERDINANDO, regi Romanorum iamdudum creato, eſſet, fore vt, depo-

*) Hic enim Pontifex FERDINANDVM ob ſuſpicionem caedis GEORGII MARTINVSII, Epiſcopi Varadinenſis et eccleſiae Romanae purpurati, ſeuera lege, interdicto ipſi ſacrorum vſu, proſcripſerat; quam maculam a Pontifice exſtinguendam vix multo argento precibusque impetrate potuit. Vide *Continuatorem hiſtoriae Eccleſiaſticae* FLEVRYANAE. Edit. Bruxell. Tom. XXX. pag. 385. ſeqq.

depositis a fratre fascibus, ad summum imperii fastigium adspiraret; pacatae praeesse Germaniae maluit, quam perpetuis turbulentissimisque litibus exagitari. Quae omnia, quemadmodum satis permouere FERDINANDVM poterant, vt, quidquid in ipso erat virium ingeniique, id omne ad dissidiorum propugnaculo disturbanda conferret; ita accedebat et aliud quoddam, quod ipsi ineundam cum Lutheranorum principibus amicitiam commendabat; inconsiderata nimirum et iniqua CAROLI consilia, de PHILIPPO filio suo in locum Imperatoris sufficiendo. Quamuis enim ipse CAROLVS summa olim vehementia Septemuiris FERDINANDVM, tamquam Romanorum regem, obtrusisset, mutauit tamen, quum PHILIPPVS ephebus factus esset, suam de successione sententiam, variisque artibus, ne dicam minis *), FERDINANDO dignitatem semel collatam

*) Has in FERDINANDVM iactasse Caesarem, BVRNETVS auctor est *Hist. reform. Eccles. Anglicanae* Part. II. p. 124. vnde rumor percrebuit, fore vt ipsi FERDINANDVS ope *Protestantium* bellum pararet. V. *Epistol. gallicas apud* MENCKENIVM l. c. pag. 1431. Quae quamuis mihi in animum FERDINANDI, qui fratrem patris loco sempet habuit, cadere non posse videantur; neque ego, quod Galli putarunt, Caesarem, ALBERTVM Brandenburgicum contra *Euangelicos* subleuasse, crediderim, (quorum vtrumque et ex singulari Caesaris male informati gratia per tem-

tam eripere conatus est *) Atqui FERDINANDO extimescendus erat PHILIPPVS rex potentissimus, qui non regiones solum Hispanicas a patre acceperat, sed coniugio etiam se nuper admodum cum MARIA Angliae regina coniunxerat, multumque viribus diuitiisque valere videbatur. Igitur quum proceres partis Pontificiae PHILIPPO, strenuo auitae religionis defensori, magis fauturos esse, FERDINANDVS animaduerteret, quam sibi, cuius placidum, et ad pacem *Protestantibus* dandam propensiorem, animum nouerant; hisque effectum iri vereretur ne, quod

temqus aliquod ALBERTO concessa, et ex crebrioribus FERDINANDI, cum *Euangelicis* negotiationibus, missoque ipsis contra ALBERTVM auxilio, natum esse videtur): hoc tamen positum est extra omne dubium, FERDINANDVM, egregiumque ipsius filium MAXIMILIANVM iniusta CAROLI de inferendo PHILIPPO consilia ipso *Protestantium* auxilio, qui superstitiosum superbumque PHILIPPI ingenium oderant, labefactare omni modo studuisse.

*) Recte MENCKENIVS his Caesarem hac in re peccasse ait, quod primo FERDINANDVM a Septemuiris eligendum postulauerit, mox vero dignitatem ex ipso in filium transferre voluerit (*in dissertatione: de naeuis politicis* CAROLI V. *Imperatoris*, quae in *Decade dissertationum* eius *academicarum* Lipsiae MDCCXXXIV. editarum, septimum locum occupat §. IV. p. 310. seq.); atque consilia; artes, rationesque commemorat, quibus Caesar fratri hoc persuadere conatus est.

quod optabat, tandem aliquando PHILIPPVS impetraret: ad huius euertenda consilia, in eo omnes animi ingeniique neruos contendebat, vt caueretur, ne quid sua dignitas detrimentum caperet. Quam ob rem optimum fore ratus, *Protestantium* auctoritati suam dignitatem superstruere facillimum se in audiendis *Euangelicorum* postulatis praebuit, omnibusque viribus annisus est, vt remotis impedimentis, pacem illis perennem compararet. Hinc tanta animi moderatio, tanta in excipiendis precibus scriptisque Lutheranorum patientia, tanta denique ipsis quaesitam pacem, reluctantibus licet Pontificiis, concedendi facilitas, quae multa rebus nostris emolumenta peperit. Hunc tam egregium omnium rerum contextum si minori, quam diuina manu, elaboratum esse dicerem, minus profecto, quam debeam, praedicarem. In hac vero fabula, vt omnes actus, ita is mihi ante omnes videtur probandus, quod ille ipse, quem tanto cum feruore et quasi violentia, Septemuiris eligendum Caesar obtruserat, iam maximum ipsi negotium facesseret; quodque Caesar, sua ipsius culpa, non sine aliquo diuino iudicio, multo studio multoque labore hominem praeparasset, qui, quo minus PHILIPPVS filius succederet, summo impedimento erat, cuiusque eo tempore, quum Caesar maxima auctoritate ad PHILIPPVM Septemuiris commendandum indigeret, aucto-

auctoritas tanta erat, vt CAROLI auctoritas propemodum exſpiraſſe videretur.

§. XXIII.

Atque ego ſuſpicionem, remiſſius quam par erat, obſeruaſſe me ſingularis diuinae circa hanc pacem prouidentiae veſtigia, non euitaturum eſſe arbitror, niſi, aptiſſimum huic negotio fuiſſe illud tempus eorum, qui tunc Romanae Eccleſiae imperium tenebant, Pontificum reſpectu, demonſtrarem. Inſidebat, dum Germani comitia ordiebantur, cathedrae Romanae IVLIVS III., qui indignatus, FERDINANDVM, hominem ſaecularem absque approbatione ſua, aut nomine Epiſcoporum praefixo, propoſuiſſe ſibi ſubditis docendorum epitomen, eumque colloquia de componendis in religione diſſidiis denuo inſtituenda ſuaſiſſe, ſummum in ipſum odium conceperat. Deplorabat aetatem ſuam, quod in ea tempora incidiſſet, quibus ſibi, ob lites auctoritati ſuae intentatas, vitam ſecuram agere non liceret; quamobrem, ne vehementiori impetu quiete ſua moueretur, IOANNEM MORONVM, Romanae Eccleſiae purpuratum ad comitia Auguſtana miſit, qui Germanis, propoſito in hunc finem Anglorum exemplo, perſuaderet, vt ad Eccleſiae gremium, errore agnito, reuerterentur; omnia vero colloquia et alias de religione tractationes, quantum

tum fieri posset, amoliretur *). Quibus rebus effecit MORONVS, vt suspectus merito *Protestantibus*, et ad supprimenda pacis consilia, stabiliendamque Pontificis auctoritatem missus vnice videretur. Neque tamen ita multo post alius, JVLIO morte exstincto, successit MARCELLVS CERVINVS, quo aptiorem quemquam ad destruendum pacis nostrae apparatum fuisse, vix crediderim. Erat enim in homine summa morum integritas sanctitatisque vitae species, et incredibilis ope Concilii, vel ipso cum Pontificis periculo, Ecclesiam emendandi cupido. Huius autem consilium, quod nec publice prouideri dubitabat, ipsis hominibus suis ingratum, *Euangelicis* plane exitiosum videbatur. Finge enim hunc prudentia bono proposito suo simili opus tamdiu, sed frustra quaesitum, aggressum fuisse, mores suorum feliciter correxisse, aut bonis verbis pacem persuasisse *Protestantibus*: num pacem, qua nunc fruimur, tam imcomparabilem impetraturos fuisse nostros putabis? aut credes, Caesarem mutuam dissidentium concordiam, grauissimis, quibus postea sancita fuit, pacis conditionibus fuisse praelaturum? Vnione vtcumque conflata frueremur forsitan, non exoptatissima Deum more nostro colendi libertate. Destruenda igitur erant Deo, qui saluti nostrae intentius inui-

*) SARPIVS *Historia Concilii Tridentini*, lib. V. p. 666.

inuigilabat, Pontificis alioquin boni consilia, quod repentina MARCELLI morte factum est, quum vix vltra vigesimum diem dignitati suae praefuisset. Egregie rebus suis consuluisset PAVLLVS IV, quem in MARCELLI locum patres purpurati substituerant, si vestigiis anteceſſoris sui insistitisset; nunc vero portentoso suo et insipiente ingenio, iactis perpetuae pacis in religione fundamentis, maximam suae suorumque successorum dignitatis iacturam faciebat. Hunc enim MARCELLO suffectum fuisse crederes, vt oppositа, quod aiunt, iuxta se posita magis elucerent, Deusque, quantum, in hoc Pontifice Ecclesiae Romanae concedendo planeque illa digno, quieti nostrae prospexerit, luculento testimonio ostenderet Fuit enim homo, qui animum enormi quadam et arrogantissima superbia inflatum *), religionis, ardentisimique pro Ecclesiae salute feruoris, amiculo circumdabat, qui sine arte, sine moderatione, sine acumine vllo, sine auctoritate, sine lepore in omnes insultabat atque pro vehementissima indole sua omnes pedibus suis conculcare se posse principes, somniabat; homo, qui tantum a sapienti placidaque anteceſſoris via deflectebat, vt nil nisi mandata, supra omnem contradictionem elata, iactaret, suaeque dignitati nihil putaret conuenientius, quam,

*) Exempla huius superbiae habet SARPIVS l. c. pag. 669. 75. 76. 83. 85. 91. 96. cet.

quam, si Deum non posset, Acheronta mouere, omnesque paullisper refragantes ferro flammisque persequi *). Hac forma cathedram PETRI conscendit, quum de pace restauranda Germanorum principes deliberarent; cuius si ingenium moresque consideras, non aptiorem facile ad promouendum hoc pacis negotium inueniri potuisse, iudicabis. Vana controuersiarum in concilio placide componendarum spe detinere *Protestantes* potuisset, auribusque eorum quasdam insidias faciendo, ipsos aliquantisper saltim remorari; sed tantum aberat, vt mitioribus verbis aliquod concilium promitteret; vt potius eo quod PAVLLI III scriptum, in quo, quomodo tentari feliciter posset Ecclesiae emendatio, exposue-

*) Ne me quis putet, iniquius de hoc viro iudicasse, praesertim quum dentur nostris temporibus, qui lenire impotentissimas huius Pontificis actiones conentur; inspicienda suaserim ipsorum Ecclesiae Romanae scriptorum testimonia, quae excitauit V. C. IO. GEORGIVS SCHELHORNIVS in elegantissima doctissimaque *epistola de concilio de emendanda Ecclesia, auspiciis* PAVLI III. *conscripto, ac a* PAVLO IV. *damnato, ad* ANGELVM MARIAM CARD. QVIRINVM; quae Tiguri A. MDCCXLVIII. prodiit, pag. 42. seqq. Ipse vero populus Romanus odium in sanctissimum patrem suosque, disjiciendo eorum statuas, easque per vrbem protrahendo, satis superque declarauit. Vide ONVPHRII *vitam* PAVLI IV. Edit. Colon. MDLXVIII. p. 445.

posuerat, in eorum librorum indicem reiecerit, quos legere Romani coetus socios nefas est, quae sibi de Ecclesia emendanda mens sederet, satis testatum fecerit *). Quam ob rem nostri melius, quam pacem religionis perpetuam ardentissime postulando, rebus suis consulere non poterant. Neque difficilimum hac in re inueniri se passus est Caesar, et in primis FERDINANDVS. Nouerant enim, quali PAVLLVS in ipsos animo esset, qui vtrique ob caussas quasdam infensissimus habebatur. Omnibus igitur viribus eorum, qui Caesaris partibus addicti erant, patrum purpuratorum suffragiis, impedire Caesar tentauerat, ne homo Pontifex eligeretur, de quo parum boni sibi polliceri poterat. Id quod multum effecisse coniicio, vt FERDINANDVS quaerelas *Euangelicorum* scripto quodam in comitiis expositas lubentius fere quam aduersariorum audiuerit. Fama enim eo tempore percrebuerat, OTTONEM Augustanum Episcopum, qui ex patrum purpuratorum numero erat, multumque incitasse PAVLLVM ad *Protestantes* supprimendos credebatur, scripti a Pontifi-

*) Negare quidem id nostra aetate, aliudque condemnatum ab ipso fuisse scriptum, affirmare voluit Eminentissimus Cardinalis QVIRINVS; sed satis hoc factum demonstratum esse a Cl. SCHELHORNIO in laudata epistola, sapientes harum rerum arbitri iudicabunt.

tificiis axhibiti auctorem fuisse *). Aures igitur huius libri querelis praebere idem erat, ac Pontificis auctoritatem sequi, cuius fere legatus OTTO, IOANNE MORONO iam reuocato, videbatur. Adhaec facili quadam coniectura assequi FERDINANDVS poterat, fore vt ira et indignatione percitus Pontifex omnes in Caesarem principes excitaret; quibus non fortius resistere se posse animaduertebat, quam si, internis de religione dissidiis in Germania finem imponendo, beneuolentiam *Euangelicorum* sibi conciliaret, et, quod aptissimum est ad quiete viuendum, caritatem. Quae omnia feliciter effecerunt, vt remotis omnibus, quae maxima videbantur, impedimentis, Lutherani pacem religionis perpetuam, vel inuito Pontifice, summo cum auctoritatis ipsius detrimento impetrarent.

§ XXIV.

Et hic aptissimus quidem videtur esse locus, in quem de multis maximisque difficultatibus, quae in ipsis comitiis suboriebantur, disputationem coniiciendam existimaui

*) Suspicionem hanc OTTO forsitan excitauit tum itinere suo durantibus comitiis, ad Pontificem eligendum, Romam suscepto; tum ista etiam protestatione ante pacem confectam edita, quam exhibet LEHMANNVS in *actis de pace relig.* lib. I. Cap. 3.

maui. Etenim quum istae, quantae quantae erant, diuina tamen sapientia feliciter superatae fuerint; Dei vero beneficia ipsorum impedimentorum, quae de medio sustulit, grauitate metiri debeamus: non videtur a scopo nostro alienum, vt de eximio huius beneficii pretio constare possit, de eorum momento aliquantisper dispicere. Sic autem ipsa huius pacis indoles comparata erat, vt ex ipsa, tamquam ex liberali scaturigine, omniumque difficultatum materia, priusquam dissentientium opiniones conciliarentur, non nisi maxima possent propullulare dissidia. Ea enim omnia, quae fidei nostrae defensores exigebant, quamuis iustissima, nobisque vsum quemdam insignem atque illustrem habere videantur, alia tamen videbantur aduersariis, qui, quod legum suarum tenacissimi essent, a se, vt *Euangelicis*, quae desiderauerant, concenderent, aegre impetrare poterant. Namque non in doctrinis modo nostrorum querelae versabantur, vt sibi liberum fore voluissent, religionem ex sacrarum litterarum dictamine, duce Confessione Augustana exercere; sed ius quoque has ipsas ad plures propagandi, atque doctores, harum veritatum publice proponendarum gratia, constituendi postulabant. Neque id solum, sed bona etiam, quae Romanae Ecclesiae erepta ad meliorem vsum transtulerant, retinenda; liberumque vnius cuiusque ad *Euangelico-*

licorum castra transitum; tali ratione, vt si principum aliquis nouam illam, quam dicebant, religionem amplecteretur, sibi subditos quoque ad suas pertrahere sententias; sin ex sacrorum ordine aliquis, vt ipsi cum animo suo, iura etiam ac bona, quibus huc vsque praefuerat, ad Lutheranorum coetum transferre liceret *). Dicam de postremo hoc postea; de reliquis quid aduersarii senserint, hic paucis accipe. Quod dandam sibi nouam quasi religionem exercendi licentiam nostri postulassent, id equidem durum admodum et iniquum aduersariis videbatur. Quo enim animo religionem ferre poterant, ad quam destruendam omnia sua studia omnemque diligentiam contulerant, vt vel per cuniculos eius fundamenta labefactarent, vel vi armorum ipsam omnesque eius sectatores eradicarent? Qua fronte eorum poterant feruorem, et in querelis proferendis, excutiendisque minis vehementiam excipere, quorum audaciam quasi, nonnulla pacis obtinendae gratia concedendo, tamquam pabulo refecerant? Recipere ac tolerare eos, quos summis huc vsque viribus prosecuti erant, nihil id erat aliud quam confiteri, stolide se hactenus egisse, omnibusque studiis non interitum emendatae religionis, sed maximum eius incrementum promouisse. Nec ferendum facile vide-

*) SLEIDANVS lib. XXVI. pag. 782. seqq.

videbatur Caesari, quod ii, quos auctoritate, consiliis, armorumque vi per triginta, et quod excurrit, annos opprimere allaborauerat, iam non ad pedes eius, pacis implorandae caussa, prouoluerentur, sed ipsi leges quasi et indutiarum conditiones dictitarent. Quis quaeso praeterea, cuius animus nondum omnem auitae religionis amorem dimiserat, publice constitui pateretur, qui errores huius religionis detegerent, argumentis confutarent, omnesque ad eam, tamquam aliquid cane ac angue peius fugiendum, exhortarentur? Maxima cum tristitia, ea ab haereticis iam occupata Pontificii deplorabant, quae pia maiorum beneficentia Ecclesiae consecrauerat; iisque tot bona, tot reditus, tot monasteria relinquenda erant, quorum recuperandorum antiquis ipsorum possessoribus nulla spes supererat. Immo, si venia cuiuis concederetur, ad nouam hanc religionem se conuertendi, et illuc bona pertrahendi sacra, quid euenturum religioni suae crederent, cuius totum aedificium diuitiis opibusque, tamquam firmissimo fundamento, superstructum est? Effoetum scilicet corpus, quod succo sanguineque destitutum repente marcesseret. Concedendum cuique erat principi, vt, quam vellet, religionem in suas regiones introduceret, eaque, quae cultui diuino ex more Ecclesiae Romanae sustentando instituta erant, aliis vsibus destina-

ſtinaret. Egregium vero reditus principis augendi medium, quo mox factum iri animaduertebant, vt bona ſacra formam ciuilium induerent. Aeternam vero religionis pacem Lutheranis concedere, idem erat, ac omnem ſpem omnemque occaſionem reparandae olim Romanam inter et *Proteſtantium* Eccleſiam pacis praeuertere; nullo enim modo ſperandum erat, eos cum Pontifice redituros eſſe in gratiam, qui, vt ab eius iugo liberarentur, omnes animi ingeniique vires impenderant. Nouimus denique, Romanae Eccleſiae homines opinionum ſuarum ſtudioſiſſimos eſſe ſolere; nouimus, quanto odio omnes a ſocietate ſua alienos proſequantur. Ecquem crederes tam ſocordem fuiſſe et religionis ſuae immemorem, vt tanta haereticis largiretur commoda, qui vix aqua igneque digni habebantur?

§. XXV.

Quamuis autem de diſſenſionibus hisce amice componendis fere inter litigantes conueniſſet, omnesque remotae propemodum eſſent diuina gratia difficultates, vnica tamen controuerſia effecit, vt parum abeſſet, quin, quae hactenus in magnam Lutheranorum vtilitatem ſancita erant, in medio curſu penitus disrumperentur. Orta haec eſt *de reſeruato*, vt aiunt, *Eccleſiaſtico* vehementiſſima ſane concertatio. Quum enim

Aug. Confeſſ. addicti poſtulaſſent, vt cuiuis doctrinae Lutheranorum recipiendae permitterentur, neque difficillimum ſe ad hoc concedendum praebuiſſet FERDINANDVS, cum iis, qui ex principum ordine Pontificis doctrinam ſequebantur, in quaeſtionem veniebat: Vtrum omnes Epiſcopos oporteret, aliosue ordinis ſacri homines, qui Romanae Eccleſiae ſacris valedicentes ſe *Proteſtantium* ſocietati adiungerent, omnibus bonis, iuribus et dignitate, quibus huc vsque fructi erant, renunciare; an potius haec omnia ad *Euangelicorum* Eccleſiam transferre liceret? Prius deſiderabant Pontificorum principes. Illi enim ne hoc conceſſo omnia demum bona ſacra ſibi eriperentur, vehementer metuebant. Sed contrariae ſententiae acerrime inſiſtebant *Euangelici*, qui relicta hac cauſſa, ſibi ipſi religionem ſuam vt impiam damnare videbantur; quum qui amplecterentur ipſam ne bonis quidem ſacris digni haberentur *). Discre-

*) Cf. SLEIDANVM l. c. pag. 738. et LEHMANNVM in *actis de pace religionis* lib. I. Cap. XIII. et XV. Neque hic a ſe impetrare potuit GODOFR. ARNOLDVS, vt motas a noſtris *de reſeruato Eccleſiaſtico* difficultates ſine animaduerſione dimitteret. Ipſum ſi audias (loc. cit. (n. 45.) § 13) impie egerunt noſtri, inque ipſis de pace tractationibus eiusmodi animum prodiderunt, ex quo aduerſarios colligere oportuit, noſtros religionem imperandi cupiditati praetexere. Neque cum doctri-

crepantes hae vtrorumque ſententiae quum eorem diſſociarent animos, FERDINANDVS facile perſpiciens, diſſidentes hac in cauſſa difficulter conſenſuros, omnem quaeſtionem in comitia, ſubſequente anno Ratisbonae habenda, differendam putabat. Quod quamuis conceſſuros ſe eſſe firmiter *Euangelici* negarent, nulla tamen ratione, a propoſita ſemel ſententia vt recederent, commouebantur. Qua in re admirabilem fuiſſe puto, ſicuti in toto religionis negotio, inſignem eorum conſtantiam, quae maximum iam

doctrina vere Euangelica conueniſſe autumat, credere quod ipſa bonorum dignitatisque abnegatione, aliqua Eccleſiae nota inureretur. A qua forſitan calumnia abſtinuiſſet ARNOLDVS, ſi quae vera mens ſit cauſſarum a noſtris excitatarum, rite expendiſſet. Non enim nominis Chriſti cauſſa, ſi opus eſſet, non renunciandum eſſe terrenis bonis putarunt; ſed, quum inter diſſentientes iam de pari vtriusque partis iure conueniſſet, Eccleſiae ſuae infamiae notam inuri arbitrati ſunt, ſi, qui a Pontificiorum religione ad ſuam dilaberentur, omnibus bonis, dignitate iuribusque exuerentur. Quis vero cenſendos noſtros dixerit, ſi, quum paciſcerentur cum aduerſariis, tam perfectam vtilemque ſibi pacem, quantam poterant, compararent? Illud enim non ſolum nullam habet notam turpitudinis; ſed laudem quoque meretur; quum tot tantaque propagandae verae religionis, firmiſſiſſimaeque pacis ſtabiliendae, impedimenta remouere, quanta tolli de medio poſſunt, cuiuis pio iuſtoque homini incumbat.

iam quasi attigerat fastigium, quum omnibus fere ad sustentanda postulata viribus essent destituti, neque tantum sententiae suae pondus addere possent, quantum ad hoc efficiendum requirebatur. Neque minus singulari quadam Dei prouidentia accidisse arbitror quod inuictissimus Germaniae Imperator, eiusque frater FERDINANDVS, qui inde ab reformationis initio summa ferè, quae in homines principiis religionis Pontificiae imbutos cadit, aequitate in *Protestantes* vsi fuerant, crescente eorum pertinacia non fuerint a pace ipsis concedenda deterriti. Quae si inter se conferantur, maximam ostendunt benignissimi numinis, quod hominum animos flectendos nouit, de promouenda religionis nostrae securitate sollicitudinem; qua factum etiam est, vt in religione dissentientes pace conciliata, a grauissimis hisce dissensionibus conquiescerent. Quod quamuis in magnum religionis nostrae detrimentum factum esse videatur, egregia tamen caeteroquin religionis pace compensatum est, quam in suo genere aliquantisper imperfectam arripere nostri quam huius impetrandae occasionem de manibus dimittere, malebant. Id vero, quod hac in caussa mihi videtur maximum, et ad sempiternam huius pacis conditorum ex nostrorum principum numero gloriam efferendam perutile, in eo positum est, quod non de bonis quibusdam terrenis aut ciuilibus com-

commodis, sed de solo Dei cultu obtinendo, dissensum se mouisse ostenderint. Nam simulatque impietatis notam a sua religione absterſam hoc decreto animaduerterent, (siquidem bonis, non vero dignitate arcendos esse episcopos ad nostra castra transeuntes decretum fuerit) non diutius controuersiae adhuc agitatae inhaeserunt, eoque ipso abunde demonstrarunt, se istas lites non excitasse, nisi vt ne aliquam infamiae notam religioni suae, hoc concedendo, inurere viderentur.

§. XXVI.

Commemoranda nobis postremo videtur hoc loco prouida Dei cura circa reprimendos omnes impetus, qui iam primae pacis modo natae aetati interitum minari videbantur. Huc in primis referendi sunt horrendi PAVLLI IV. Pontificis insultus, qui, et quantum illius malitia, et cura Dei in euertendis eius consiliis potuerit, praeclare demonstrant. Nouimus ferociſſimum eius ingenium, quod tartareis semper grauidum incedebat consiliis. Fama igitur de pace *Protestantibus* concessa quum percrebuisset, concitatus vehementissima iracundia Caesarem FERDINANDVMQVE stomachosius increpuit, effecturumque se esse pronunciauit, vt, quanta iniuria sedem Apostolicam affecerint, maximo cum dolore sentirent. Revocandum pacis edictum supprimendosque

haere-

haereticos imperabat; ipsisque paciscentibus de religione, qua se ad pacem seruandam obstrinxerant, absolutis omnes diras stygiosque cruciatus non Lutheranis solum, sed eorum quoque fautoribus minabatur *). Equidem ventosa isthaec hominis et enormis impudentia, moresque Caesari admodum exosi, disiicere facile poterant, quidquid in ipsius animo ad foedus destruendum exsurgeret. Sed non nullius mihi momenti fuisse videtur haec Pontificis indignatio apud FERDINANDVM. Auitae enim adhuc religioni inhaerebat, adeoque, contra summum Ecclesiae principem aliquid sentire piaculum esse ratus, non omni adhucdum deposita in patrem sanctissimum reuerentia; non perfunctorie dicta sibi haec videbantur. Dignitatem praeterea Imperialem meditabatur, quam sibi a Pontifice confirmandam polliceri non poterat, nisi delendos in se suscipiret haereticos. Neque de nihilo erat periculum, quod, nisi bona fide poenitentiam emendaret, ipsi Pontifex praeparabat. Animos enim omnium, qui bene sedi Romanae volebant, principum ipsum concitaturum esse, facile intelligebat FERDINANDVS; ex quo, credibile erat, orituras esse compositis multo grauiores dissensiones. Tanta autem erat nobilissimi principis honestas, et in seruandis promissis

*) SARPIVS *Hist. Concilii Trident.* lib. V. p. m. 675.

sis quasi verecundia, vt in pactione summa fide maneret, mallerque odium insulsi Pontificis sustinere, quam periurio suo Deum sibi iratum reddere, iisque denegare fidem, quibus eam iureiurando promiserat. Summa quoque diuini numinis prouidentia ea, quae detrimentosa videbantur *Euangelicis*, in summam ipsorum vtilitatem conuertebat, efficiebatque vt ipsa Pontificis stultitia summum ipsi afferret detrimentum. Inanem ridemus eius arrogantiam, qua omnes terrarum principes pedibus suis subiiciendos, Caesari vero, quem haereticum appellabat, ostensurum se esse quantus vir esset, quem offendisset, satis thrasonice iactabat *). Sine dubio Galliae regem ad suas pertrahere posse partes sperabat. Postquam vero ipsum indutias fecisse cum Caesare audiuerat, ipseque proprias vires irae exercendae non sufficientes esse intelligebat, missis ad vtrumque legatis, vtriusque sibi gratiam conciliare studebat, et de concilio, in quo initium de semetipso facere promittebat, loquebatur. Postea quum multis fraudibus tandem aliquando auxilium a Galliae rege impetrasset **), denuo diris devouebat Caesarem, omnemque cogitationem a concilio ad bellum parandum transferebat. Dux vero ALBANVS a PHILIPPO Hispaniae rege, qui COLVMNIIS a Pontifice proscriptis vna cum Caesa-

*) SARPIVS l. c. p. 677. et 685.
**) THVANVS *Histor.* lib. XVII. p. m. 478. seq.

Caesare succurrerat, contra Pontificem cum exercitu missus, ad Romam appropinquando, quasdam mox pacis conditiones extorsit, facilique negotio, si voluisset, Pontificem pessum dare potuisset. Sed nescio quo modo factum sit, vt, quum Pontifici, quo euaderet, nihil superesset, pacem cum ipso PHILIPPVS iniuerit, adeo vt per ducem ALBANVM publice etiam veniam delicti rogaret. Qua re tantopere elatus est PAVLLVS, vt eadem abiecti animi signa a FERDINANDO postularet, neque, sine hac deprecatione, vmquam in dignitatem Caesaream ipsi conferendam consensurum se esse diceret *). Hic vero apparet, quantum Pontifex cum probro priuato imperii dedecus coniunxerit. FERDINANDVS enim intelligens, ab inepto hoc homine neque coronationem, neque concilium aliquod honestum exspectandum esse, id effecit, quod nemo ante ipsum ausus fuerat, in perpetuam dignitatis suae laudem, vt turpissimam illam, qua toties totiesque Pontifices Caesares optimos exagitauerant, coronationem prorsus abrogaret; ex quo tempore omnis, quam sibi sumserant Pontifices, Caesares diademate cingendi potestas prorsus exspirauit.

§. XXVII.

Restat locus huic disputationi maxime necessarius de praeclaris effectibus, qui, moderan-

*) SARPIVS p. 702. 3.

derante Deo, hanc pacem concomitati sunt, illustrioremque ipsam reddidere. Iis enim non immorabimur diutius, quibus Deus singularem suam de promouenda hac pace curam, omnia quae praeparare quasi ipsam poterant, instruendo, declarauit; de quibus iam supra (§. I-VI.) satis, vt puto, expositum est; neque tela ad infringendam hanc disputationem acuta timemus, quippe quae (§ VIII.) cuspide a nobis priuata esse arbitramur. Vt vero ei praestantiam ex effectibus, quos produxit, dignoscere solemus; sic ea omnia singulari Dei nutu procurata fuisse statuendum est, quae ad conformatas sanae rationi sacrisque litteris doctrinas restaurandas, ad verum Dei cultum promouendum, ad obscurantes denique terrenam pariter ac aeternam felicitatem errores eradicandos pertinent. Duo enim nobis Deus, de salute nostra maxime sollicitus, hoc in mundo procuranda imposuit, vt, et, aeternitati studentes, perennem nobis felicitatem compararemus; et prospiceremus iis, quae vitae nostrae et quieti promouendae conseruandaeque inseruiunt. Cuius sempiternae felicitatis viam quemadmodum Deus natura ipsa praemonstrauit, ita nostrae in diuinis ignorantiae, verbo suo in litteras relato, succurrendum esse putauit. Omnis igitur hac in re habenda ratio et diligentia est, vt rationem nobis benigne concessam colendo atque expoliendo quasi,

actio-

actiones nostras ad verbum diuinum veluti ad felicitatis nostrae stateram, exigendo, omnibus denique, ad vtrumque hoc promouendum idoneis, diligenter excussis, aliis etiam institutione ac doctrinae nostrae succurrendo, nostrum quidem praesidium, in quo a Deo locati sumus, non deseruisse videamur. Neque minor Dei, de externa nostra felicitate, habenda sollicitudo est. Probe enim intelligens, solos nos ad felicitatem adspirare, destituti aliorum auxilio, perfecte non posse; societate nos cum aliis coniungendos voluit, noluitque vllam aetatis degendae rationem expertem societatis esse. Quod omnium fere hominum, et vt puto, generis vniuersi, desiderium, quo, quid velit, anquirat ac desideret, natura declarauit, magistratui originem dedit, qui ad pacem et salutem communem promouendam institutus esse videtur. Quocirca nostrum est, omnia quae societatem et rem publicam perturbare possent, euitare, eaque praestare magistratui, quae debemus ipsi, tamquam Dei in his terris vicario, idque diligenter curare, ne eius labefactetur auctoritas. Esse has doctrinas eiusmodi putauerim, quae non vtiles modo sunt, et ad comparandam felicitatem admodum necessariae, sed ita quoque comparatae, vt, qui de ipsarum veritate dubitet, obsurduisse, nec ea, quae monetur a Deo, audire videatur. Ex quo iudicare licet, quam detestabilis sit

ista

ista religio, quae placitis suis, ineptisque positionibus, omne animi lumen paene exstinguit; quae omne veri iudicium adulterat; quae caeleste illud volumen ex manibus hominum extorquet, ad quod omnes vitae nostrae actiones componendae sunt; quae, quod ad propugnandam doctrinae veritatem pertinet, radicitus exstirpat; quae magistratui iura ab ipso Deo concessa aufert, eique gladium eripit, non ad iustitiam exercendam, sed ad eos supprimendos, qui vt doctrinis his pernicioſissimis obicem ponant, verumque Dei cultum promoueant, omnibus annituntur viribus. Quorsum haec omnia? inquies. Vt scilicet intelligatur, singularem Dei prouidentiam circa istos conatus fuisse occupatam, quae turpissimos hos errores destruxit, veramque religionem pristino suo nitori restituit; vt, inquam, intelligatur, hanc pacem manu quasi diuina fuisse fabricatam, quae viam ad felicitatem perueniendi hominibus aperuit, iisque, quibus Deus dedit hominum dirigendas societates, sua iura reddidit. Enimuero quid gratae aduersus Deum menti excitandae accommodatius esse potest illa ipsa vtilitate, quam ex Dei beneficentia in nos redundantem conspicimus? Magis Dei mouemur beneficiis, quam omnibus quibuscunque aliis, quanta quanta sint, diuinis operibus, a quibus uero, quid ad salutem nostram permanare possit, non perspicimus. Eum igitur

finem

quum nobis in exaranda hac dissertatione constituerimus, vt quantumcunque possimus, his meditationibus nostris, nostros homines ad gratias pro hac pace Deo referendas, commoueremus; illud nobis agendum est, vt rem, quae ad memoriam huius officii excitandam aptissima videtur, paullisper, breuius tamen quam res tanta poscit, exponamus.

§. XXVIII.

Ordiamur ab iis, quos in republica habuit, effectibus; de his enim, quoniam quieti publicae restauratae successit quasi emendatae religionis liberior propagatio, primo loco dicendum esse duximus. Vix in scenam cum suis, ad aperiendos hominum oculos, LVTHERVS prodierat, quum, tamquam ad commune quoddam incendium exstinguendum, qui caussam Pontificis non derelinquendam putabant, concurrerent, eosque, quos argumentis non poterant, armorum impetu opprimere conarentur. Erat eo tempore communis fere omnium opinio: discrepantes in sacris sententias ciuilemque concordiam aduersis velut frontibus inter se pugnare, quae quo minus in vnum coire possent, intestina quadam discordia prohiberet. Non infeliciter hanc opinionem ab hominibus Pontificis castra sequentibus (quorum scilicet multum intererat, ne quid respublica sacra detrimentum caperet) excogi-

cogitatam esse putares; saltim ipsam crebrius hominum animis inculcandam esse docebant, ne, qui noua molirentur, et a praeceptis curiae Romanae aliena nimium succrescere, suarumque doctrinarum semina latius disseminare possent. Neque deerant, quibus veritatis speciem huic opinioni inducere poterant, argumenta, quae cordatioribus etiam tantum errorem facile persuadebant. Preces continuae, quibus Caesarem *Protestantes* sollicitabant. et admirabilis confessorum nostrorum constantia, quamvis summa cum animi submissione, summaque, de turbis in republica sollerter euitandis, cura coniuncta esset, seditiosorum ipsis cognomen comparabat; eoque, quod crebrius decretis Caesaris intercederent, qui cedere durioribus eius mandatis detrectabant, bellumque ad reprimendos hostium impetus pararent, turbatae quietis publicae suspicionem excitabant. Suborta praeter haec, circa reformationis initium, erat furiosa rusticorum tumultuantium et ANABAPTISTARVM natio, quae per omnem fere Germaniam, nescio quo modo, serpserat, omnibusque legibus ac ciuili imperio interitum minari videbatur. Quorum aliqui quum, aeque ac LVTHERI assectae, emendandam esse Ecclesiam clamitarent, multis persuaserunt, fore, vt hi etiam, omnem penitus dominationem abrogandam meditarentur. Plurima denique multorum oculis

obuersabantur exempla, quae magnarum maximarumque societatum, Hanseaticae scilicet, Sueuicae, aliarumque, dissociatis ob religionem sodalium animis, rupta esse vincula docebant. Ista igitur opinio non poterat, quin animos principum ad persequendos nostrae religionis fautores, instigaret, ipsisque, quorum ex Dei voluntate, erat, veram religionem promouere, occasionem suppeditaret, huius religionis radices, quas lolium edituras esse credebant, exstirpandi, hominumque opprimendi conatus, qui diuinitus erant ad dissipandas Papatus tenebras excitati. Atque hic error tanto maioris momenti erat, quo magis ipsa probabilitate sua nocebat, ansamque Ecclesiae Romanae antistitibus ipsam veritatem cum ipsius defensoribus persequendi satis opportunam praebebat. A quo errore, quomodo liberari potuissent istius aeui homines, non video, nisi certiori contrariae sententiae experientia haec praeiudicata opinio disturbata fuisset. Id quod Deus ipsa hac pace effecit. Haec enim homines a turpissima suspicione dimisit; maxime, quum, religionis varietate stabiliri posse, ea vero multorum machinationibus sublata, corruere omnem imperii Germanici contextum, sequens aetas lamentabili prorsus institutione docuerit.

§. XXIX.

§. XXIX.

Alterum, quod pax religiosa progenuit, et illud quidem maximum in eo positum est, vt aurea nobis conscientiae libertas, iis vero potestas in sacris decernendi restituta sit, quibus ex omni diuino ac humano iure concedenda est. Pariter in hoc sana ratio et diuinae paginae consentiunt, nullius, ad probanda ea, quae falsa esse animaduertit, adigendum esse animum, contra vero vnius cuiusque arbitrio relinquendum esse, vt, quomodo rationes suas, in comparanda animi salute, instituere velit, dispiciat. Neque minus, ex omnium sapientium sententia, summo in republica magistratui competit, ea, quae in sacris nondum verbo diuino constituta sunt, constituere, omniaque, quae ad regendam Ecclesiam pertinent, ad suam voluntatem conuertere. Vtramque hanc doctrinam artificiis suis Pontifices Romani paene exstinxerant. Vnicam dari eamque adspectabilem Ecclesiam, dicentes, omnia scitis placitisque suis repugnantia condemnabant, nec iniquum esse putabant, sed pietati congruens, ferro flammisque errantes ad Ecclesiae gremium reuocare. Contra Pontificis auctoritatem mutire grande habebatur et detestabile piaculum. Summis in orbe Christiano principibus iura, quibus in definiendis sacris vsi adhuc fuerant, Laicis de sacris iudicandi potestatem dene-

gantes, abstulerant. Omnia denique, quae tum in doctrinis, tum in sacris peragendis, constituendisque Ecclesiae doctoribus, sancienda erant, suo Pontifices subiecerant arbitrio; quo sumto sibi iuri, subrutisque his quae natura sanctissimaeque litterae posuerunt, fundamentis, omne Pontificis superstructum erat imperium. O egregios Dei vicarios, quibus magistri sui sanctiones euertendae sunt, ne quid propria auctoritas detrimenti capiat! Enimuero verae religionis semina, inter haec quasi lapidum coagmenta, enasci aut prorumpere non poterant, quamdiu, quid lolii instar euellendum, quidue in Ecclesiam recipiendum esset, ex Pontificum voluntate penderet. Quamobrem is primo de gradu suo deiiciendus erat, qui se ipse familiae diuinae procuratorem constituerat. Id quod optime, pacem emendatae religionis confessoribus concedendo, peractum est; qua ipsa pontifex quasi res suas sibi habere iubeatur. Huius igitur auctoritate nostris non solum in quibusdam doctrinis a Romana Ecclesia dissentiendi libertas, (hoc enim, retentis huius Ecclesiae erroribus primariis, fieri potuisse, Bohemorum, Austriacorum, Bauarorumque ecclesiis edocemur), sed eas omnes, quae in Confessione Augustana expositae, omnia Papatus fundamenta euertebant, positiones recipiendi, Deique cultum ex his sententiis publice et impune instituendi

ſtituendi venia concedebatur. Ex quorum ſententia quum omne in ciuitatem Chriſtianorum Pontifici imperium denegandum, ſolique ſummo magiſtratui, in rebus nondum a Deo definitis, tribuenda poteſtas eſſet *); id ſua ſponte, conceſſa hac credendi licentia, efficiebatur, vt, qui hactenus Pontificis imperio ſubiecti fuiſſent, a iurisdictione ipſius eximerentur, iisque, quibus merito competebat, ſacra moderandi facultas, principibus ſcilicet reſtitueretur. Qua in re nihil poteſt eſſe ipſius Caeſaris exemplo illuſtrius, qui, ipſam hanc pacem largiendo, ſuam in ſacris decernendi poteſtatem egregie demonſtrabat. Quae quum ita ſint, iſtaeque doctrinae, quae publicae quietis fundamenta, noſtraque cum felicitate arctisſime coniunctae ſunt, priſtinam dignitatem recuperauerint, nec absque hac pace reſtaurari potuiſſent; nullum eſt dubium, hanc pacem ſingulari Dei prouidentia comparatam fuiſſe.

§. XXX.

Atque hanc ipſam in promouenda hac pace maximam fuiſſe, felici ipſorum emendatae religionis fato demonſtratur, quarum non ſolum egregie conſeruauit munditiam, et ex parte reſtituit, ſed effecit etiam, vt vera ad ſalutem perueniendi via, hactenus cimmeriis quaſi tenebris ſepulta, omnibus poſſet

*) Aug. Conf. Art. XXVIII.

posset patefieri. Exiguam profecto, de instauranda hominum felicitate, curam numen benignissimum declararet, si non nisi paucis quibusdam hominibus, veluti naufragio proximis, beneficum illud sidus exoriretur; vel si ipsis ille aquas salubres, errorum inquinamentis infectas, propinaret. Ea potius veritati vis quasi indita est, vt non latere possit in tenebris, neque se angustis terminis continere, sed rapidi fluminis instar prorumpat, omniaque inundet; neque Deus turbulenta aqua sitim hominum restinguit; a Deo enim quid, nisi optimum, promanare potest? Quae si recte se habeant, si liberari per Deum ipsum homines, a turpissimis in religione erroribus, confidendum sit; si Deus doctrinas salutares ipsis, quantum fieri potest, purissimas tradit: illud omnino medium diuinae originis esse censeatur, quod fini huic promouendo aptissime inseruit. Enimuero hoc effecisse religionis pacem, neminem, nisi omnium religionis nostrae vicissitudinum plane expertem, fugere posse arbitror. Constat enim inter omnes, quam inimica, quaesita inter nostram aliorumque dissentientium fidem conciliatio, Ecclesiae nostrae ac doctrinarum ipsius puritati fuerit. Quorum plurimorum, et quid impedit, quo minus dicam omnium? studiorum is solet esse exitus, vt, viribus inaniter contritis ad pristina consilia redeundum sit, aut ita immutatum

tatum ſectae cuiusdam credendorum agendorumque corpus prodeat, vt, qui ſectarum numerum diminuere conſtituerant iam nouam quaſi condidiſſe videantur. Fac igitur, absque hac pace, in vnum redigi corpus vtramque partem, et *Proteſtantium*, et eorum, qui Pontificis opinionibus dediti erant, oportuiſſe; quid proditurum fuiſſe putas, ſi ſucceſſu non deſtituta fuiſſent haec ſtudia? Minor forſitan in Pontificiorum republica ſecta. qualis IANSENISTARVM fere eſt, aliorumque, non niſi in quibusdam, a Romana Eccleſia diſſentientium; nimium beatis noſtris, ſi veniam in minoribus fidei momentis aliquantisper diſſentiendi vtcumque impetraſſent. Qua in re exemplo nobis poſſunt eſſe ii, qui, pari ratione ac noſtri, emendandam Eccleſiam poſtularunt, quales HVSSITAE fuerunt, et, pacis noſtrae tempore, alii FERDINANDO ſubditi. Qui quid quaeſo impetrarunt? Calicem ſcilicet, eorumque ſacerdotes matrimonii veniam. Magna vtique Eccleſiae emendatio! Quaſi vero aegroto ſanitas reſtitueretur, cuius leue aliquod vulnus ſanando, reliqua intacta relinquuntur. Num vero maiora his Concilium Tridentinum nobis emolumenta promiſit? num praeposteră Caeſaris conſilia diſſidiis felicius mederi potuerunt? Immo vero, quanti eiusmodi ſectarum diſſidentium conciliatio damna progignat, ipſa illa lubrica pacis formula,

la, quae nomen *Interim* accepit, nataeque ex ipsa in Ecclesia nostra dissensiones docuerunt. Haec enim quum a Caesare nostris, tamquam regula doctrinarum cultusque divini, proponeretur, neque spes videretur superesse, perfectam religionis libertatem vmquam obtinendi, factum est, vt nostrorum aliqui, qui necesse habere putabant cum insanientibus furere, in multa non solum ad cultum Dei publicum pertinentia consentirent, sed ita se quoque huic formulae accommodarent, vt nisi re ipsa, verbis tamen in errores aduersariorum prolaberentur. Ex quo, quantum sit paci religiosae, tandem aliquando impetratae, statuendum pretium, optime potest perspici. Perfecta enim de religione, ex mente Augustanae Confessionis sentiendi, nobis concessa licentia et ab omni necessitate, in quaedam Ecclesiae Romanae commenta transeundi, liberati sumus, et ab ista, multis in rebus auctoritati aduersariorem cedendi, facilitate. Quid quod illis inter Ecclesiae nostrae doctores contentionibus citius finem ista pax imposuit, prohibuitque, ne plurima pars Doctorum nostrorum, nimium conniuendo, in turpissimos errores incideret. Quamuis enim non omnino, pace iam sancita, hae de *Adiaphoris* concertationes cessauerint, fontes tamen praecluſi fuerunt, ex quibus eiusmodi errores propullulauerant. Nam quum plerique remissius de doctrinarum nostra-

ſtrarum munditie conſeruanda, timore violentiae perterriti, cogitaſſent; iam, quum neceſſitas, de feruore in defendenda veritate remittendo, non vrgeret amplius, faciliores eorum dictis aures praebuerunt, qui ne transuerſum vnguem a ſimplicitate doctrinarum recedendum eſſe iubebant.

§. XXXI

Huius vero pacis beneficio non liquidioribus ſolum doctrinis fruimur, ſed ſubminiſtrata quoque eſt, emendatae religionis noſtrae principia cum aliis communicandi, atque errores aduerſariorum profligandi licentia, omnesque maiori diligentia doctrinas excutiendi occaſio. Quum enim, vi huius pacis, eodem cum Romana Eccleſia, in fide noſtra conſeruanda et propaganda, iure gaudeamus, in eo nobis elaborandum eſt maxime, vt noſtrorum animos in veritate confirmemus, eumque theſaurum, quem nobis, veluti ſequeſtris, Deus credidit, omni cura atque ſollicitudine cuſtodiamus. Huic vero fini, quid poteſt ſcholis eſſe, quid Academiis accommodatius? de quibus erigendis ac confirmandis benigniſſime, ipſa hac pace, Deus proſpexit. Ea enim bona, quae erepta Eccleſiae Romanae, ſacro vſui noſtratium principes conſecrauerant, eidem in poſterum fini vt inſeruirent, hac ſanctione publice conſtitutum eſt. Neque nobis in confutandis aduerſariorum erroribus, fraudibus-

dibusque Curiae Romanae detegendis, modo id modeſte fiat et ſecundum aequitatis regulas, impoſitum eſt ſilentium. Tanta enim eſt doctrinarum religionis noſtrae principalium a primis religionis Pontificiae principiis diſſenſio, vt altera religione ſtabilita, alteram debilitari, alteraque triumphante, alteram, in imum detruſam, ſine vlla nobilitate iacere neceſſe ſit. Praeiudicatis vero opinionibus ex animo hominum, qui, quod verbi diuini audiendi occaſione deſtituti ſunt, praeſenti oratione erudiri nequeunt, eradicandis nihil magis inſeruire poteſt, quam quod ſcriptis in publicum editis, non modo cauſſam agamus religionis noſtrae, ſed ea etiam, quae in aduerſariorum doctrinis lubrica ſunt, et naturae ſacrisque litteris contraria, libere candideque omnium conſpectui exponamus. Ex hoc autem ipſos impugnandi medio quantum boni ſibi auerſarii polliceantur, maxima ipſorum, de libris noſtris ex ſuorum manibus extorquendis, ſollicitudo. et huic ſcopo deſtinati tum librorum prohibitorum indices, tum ad ſcripta malae notae examinanda conſtituti magiſtri abunde demonſtrant. Eo tamen ſe adduci paſſi ſunt, vt in ipſa templa ſua cantilenas quasdam, a noſtris hominibus confectas, decantandas introducerent; qua quidem re, tamquam ſummo beneficio, ſuos affeciſſe arbitror, qui quum vix quidquam in cultu publico occurrere vide-

videant, quo pietatem ſuam alere, aut ad Deo ſeruiendum excitare ſe poſſint, habent tamen aliquid, quo pietati, ſi volunt, aliquantum poſſint conſulere *). Denique, vt de occaſione non omnibus omnino ademta, ipſum codicem ſacrum lingua vernacula expoſitum legendi, nihil dicam; multum certe ad veram CHRISTI religionem inter ipſos propagandam conferre videtur, quod copiam habere librorum a noſtris confectorum poſſint, quibus de religionis noſtrae indole, veraque ad ſalutem via melius edoceri queant. Sed nolo iam commodis, ex libertate, publice religionem noſtrum exponendi, promanantibus immorari; modo id vnice monuerim, ipſam hanc pacem nobis, ſcienter proponendi, meliusque examinandi limandique religionis noſtrae ſcita, occaſionem praebuiſſe. Nemini enim poteſt eſſe obſcurum, ipſas lites, doctrinis intentatas, et aduerſariorum, errores ſuos exornandi, conatus, ipſos excitare contrariae partis fautores, vt, quid obſcurum adhuc et incultum quaſi in doctrinis eſt, diſtinctius explicent, vt, quae ad doctrinam quamdam conſtituendam pertinent, definiant, vt dicta denique omnia, quanto fieri

*) Vide ipſa, hac de re, Pontificiorum teſtimonia in IO. FRID. MAYERI diſſ. quantum reformatio Lutheri Pontificiis ipſis non diffitentibus profuerit, et IO. ANDR. SCHMIDII diſſ. de modo propagandi religionem per carmina §. XXVIII.

ri potest rigore ac perspicuitate, demonstrent. Nihil igitur, post datam hanc pacem, quum Pontificis hominibus potius fuerit, quam vt contortulis quibusdam sophismatibus, doctrinas nostras impugnarent, variisque artificiorum generibus, fucum nobis facere possent; nostri quantum, vt ad nodos ab aduersariis nexos feliciter incidendos, detegendasque Pontificiorum machinationes, se accingerent, commoti fuerint, et praeterita, et nostra etiam tempora loquuntur.

§. XXXII.

Haec vt intelligantur luculentius, vnicum modo, eumque admirabilem, libertatis de religione sentiendi effectum adhuc commemorabo, quem insigne ipsi Pontificiorum Ecclesiae emolumentum peperisse, nostros vero, ad religionis doctrinas diligentius excolendas, instigasse, nemo ignorat, qui vel mediocri praeditus est sanctioris historiae scientia. Spe scilicet aduersariis, nos ad recipienda ipsorum commenta vi armorum adigendi, per datam nobis pacem erepta, probe intelligentes, nos mollioribus consiliis ad ipsorum communitatem esse reducendos; omnes animi neruos intenderunt, vt et nostris hunc reditum persuaderent, et doctrinarum suarum auctoritatem contra nostrorum impetus vindicarent. Facile vero persentiscebant, fore, vt, in

in arduo hoc negotio, omnes conatus successu destituerentur, si aliis contra nos armis, quam ex sacro codice, prouti Ebraica et Graeca lingua exaratus est desumtis vterentur. Neque enim variis artificiis, inuita plerumque Minerua excogitatis, in quibus inueniendis, sequenti tempore methodorum fabri operam oleumque perdidere, nos ad eruditam de religione concertationem ineundam commoueri videbant, nisi in hisce disputationibus Sacrae litterae fundamenti loco substernerentur; neque nos alio habitu admissuros esse huius voluminis oracula nouerant, quam quo ab ipso Deo circumamicta quasi essent. Quid ergo? Tanta eorum erat, nos ad ouile Pontificis Romani errantes reducendi cupido, tantaque de nostrorum, quos strenuos esse milites ipso hoc certamine edocti erant, impetu reprimendo cura, vt ipsum diuinum Codicem Ebraea Graecaque lingua conscriptum exquirere mallent, quam omnem, de conuincendis nobis, deque diuina positionum suarum auctoritate, spem abiicere. Hinc maiori, quam factum antea erat, studio operam addiscendis linguis orientalibus dedere *); quae ipsum diuinum volumen introspiciendi necessitas magnam inter Pontificios

*) Conferri merentur quae in hanc rem elegantissime dixit IAC. FACCIOLATVS in Oratione *ad sacram scripturam*, quae inter orationes eius *de optimis studiis* sexta est, inprimis p. 112. seq.

tificios interpretum copiam excitauit. Et, quamuis in Concilio Tridentino dura haec lex ſancita fuerit: ne in rebus fidei morumque aliter quis ſacra oracula explicare auderet, quam auctoritas Eccleſiae, et Pontificis praecipue, id permitteret **); haec tamen regula et non vbiuis, ſaltim non ex huius Concilii auctoritate, eandem vim obtinet, et aliam inde promanantem vtilitatem impedire non poteſt. Quemadmodum enim hoc interdictum, ſicuti omnis de excutiendo ex manu plebis codice ſanctio, deſperatam profecto cauſſam indicat, quam tueri non poſſe ſe, conceſſa cuiuis ſacri voluminis lectione, praetagiunt; ita doctioribus, quamuis in publicum proferre ſaniores oraculorum diuinorum explicationes non liceat, occaſio ſaltim doctrinarum ſuarum a ſacris litteris diſſenſum perſpiciendi, ſuppeditata eſt, ita vt, qui inter ipſos praeter ceteros ſapere videntur, aliis rationibus, quam argumentis ex ſacra ſcriptura depromtis, pugnare malint. Maius, iudicabis, hac ratione detrimentum, quam emolumentum, hoc ſacri codicis ſtudium Pontificiorum cauſſae attuliſſe. Neque hoc quidem inficior. Sed id ipſum ſingularem Dei in pace noſtra prouidentiam arguit, quod ſcilicet effecerit, vt ipſis vel inuitis via ad ſalutem monſtraretur, qua ſpreta, eo minus excuſari poſſunt, ſi oblatam ſibi Dei gratiam contemſerint. §. XXXIII.

**) *Concil. Trid.* Seſſione IV. Edit. CHIFFLETII p. 24.

§. XXXIII.

Habui haec, quae de singularis prouidentiae diuinae in pace religionis nobis comparanda vestigiis dicerem; quibus si, quod optabam, effecerim, erit, cur me scripsisse non poeniteat; sin fini mihi proposito minus suffecisse videar, excusabit me pietas, quum quomodocunque dicere, quam tanti beneficii excellentiam tacere, aequius excusatiusque videretur. Ea enim nobis felicitas contigit, vt simus ex eorum sanguine procreati eorumue discipuli, qui diuinas emendatae religionis nostrae doctrinas, summa animi constantia, defenderunt, qui bona, qui voluptates, qui dignitatem, qui ipsam vitam pro Deo deuouerunt, qui sententiarum suarum veritatem, nisi sanguine, calamitatibus tamen confirmarunt. Tot scripta, quae omnium manibus teruntur, tot praeclara facta, quibus referti historiarum annales sunt, tot alia monumenta, quibus pietatem suam declararunt, magno documento sunt, ipsos non populari feruore traditum sibi Palladium vindicasse. Vita erepti sunt, et ex hac rerum humanarum miseria ad caelestes illas sedes euolarunt, quo omnes, qui religionem conseruauerint, adiuuerint, auxerint, reuertuntur; sed viuet ipsorum sempiterna memoria, et, quemadmodum animus, sic pietatis monumenta triste mortalitatis fatum certissime effugient. Vtinam nec socordia nostra ipsorum cineres violaret! Vtinam eodem

dem cum ipsis feruore, eadem pietate armati, tamquam digni tantorum virorum discipuli, paternum quasi aduersus impia Pontificis dogmata odium, velut haereditate relictum, non prius quam animum deponeremus! Gliscit proh dolor! latiusque disseminatur infelix illud lolium, sterilesque dominantur auenae; atque quum violentia, quum scriptâ, quum methodi nil valeant amplius, omnem blanditiarum apparatum aduersarii excutiunt vt quasdam auribus animisque nostris insidias faciendo, nos incautiores irretiant, irretitosque in aeternam perniciem deturbent. Deum perpetuis fatigemus precibus vt, quam huc vsque nobis vindicauit, ipsum ex praeceptis suis colendi liberr tem benigne conseruet; vt fideles in messem suam operarios mittat; vt eos, quibus tristior offusa nox est, verbi sui lumine recreet; vt fratribus denique nostris, qui sub Pontificis tyrannide ingemiscunt, clementia sua aliquod alleuamentum afferat. Veniet, veniet aliquando dies, in quo, quantum de conseruanda Dei gloria, quantum de nostro nostrorumque salute, quantum de consecrandis Deo animis solliciti fuerimus, iustissima a nobis exigetur ratio! Id igitur agamus, id meditemur, vt susceptis virtutibus et huius vitae laboribus patienter exactis, Deum nostrum, non seueriss-imum iudicem, sed patrem indulgentissimum experiamur. Sic breuem vigilantiam aeterna requies, sic vitam bene actam excipiet exoptatissimus

Finis.

III.

III.

De

Catenis Patrum Graecorum in novum Testamentum observationes,

Quas

Sub Praesidio

D. Io. Aug. Noesselt

Mense Maii 1762.

defendit

auctor

Io. Fridericus Sigismundus Augustin,

Berolinas.

III.

De

Citatis Patrum Graecorum

in Novum Testamentum

observationes.

ARGVMENTVM DISPVTATIONIS.

Quid sint catenae Patrum, *et quibus nominibus appellentur? Sitne hoc nomen a* Thoma Aquinate *inventum? Earum modus et ratio* §. I.

De catena in Matthaeum, *quam* P. Possinus *edidit, eiusque vitiis et consensu cum* Theophylacti *scholiis.* §. II.

De catena in Matthaeum, *quae* Nicetae *dicitur, a* B. Corderio *edita, eius ratione et miserabili* Corderii *latina versione* §. III.

De catena in Marcum *a* Possino *luce donata, et interpretatione huius Evangelii, quae* Victori Antiocheno *tribuitur, deque* Barberinianis *lectionibus.* § IV.

De catena in Lucam *latine a* Corderio *versa et commentario, cuius auctor* Titus Postrensis *jactatur, frustra tamen.* §. V.

De catena in Ioannem *cura* Corderii *edita eiusque vitiis et virtutibus*, §. VI.

De Theophylacti *scholiis in N. Test. Scholia eius in* Euangelia, *Summam dat interpretationum* Chrysostomi, *sed non unum illum sequitur. An allegoriae in his scholiis a* Theophylacto *veniant? De formula in catenis:* χῃ ἄλλως. *Theologia* Theoph. *et lectiones non raro singulares, plerumque ei cum* Chrysostomo *et* versione Syriaca *communes. De codice* Theoph., *quem sequitur latina versio* Oecolampadii. *Iudicium de illa versione, quae emendata est a P.* Montano, *non vbique tamen. De editione* Theoph. *Romana, Parisiensi et Veneta. An distributio in Capita apud nos recepta* Theophylacti *sit. Vtrum scholia eius in* Acta Apost. *a L.* Sisanio *edita, vere* Theophylactum *auctorem habeant? De aliis horum scholiorum* ἐκδόσεσι. Theophylacti *obss. in* Paulli epistolas *non sunt* Athanasii. *Earum editiones et conuersio latina per C.* Porsenam *et* Montanum. *Consensus scholiorum* Theophylacti *cum* Chrysostomo

stomo et Oecumenio. *Dogmata* Theoph. *Scholia* Theoph. *in* epistolas catholicas *paene eadem cum istis, quae* Oecumenii *nomine habentur, sed in lectionibus nonnunquam diversa. Ea asseruntur* Theophylacto. §. VII.

Euthymii Zygabeni *commentarius in* Euangelia *laudatur. Non est* Oecumenii *nec* Theophylacti. *Eius lectiones immutatae nonnunquam ab Editore ad versionem Vulgatam Bibliaque Complutensia, modus etiam in interpretando, distributio textus et dogmata.* § VIII.

Oecumenii *catena, qui fuit Triccensis episcopus ante Saec. X. vel. XI. An* Theophylacti *scholia vsurpauerit?* Photii *notae in ista catena dubiae auctoritatis sunt. Scholia huius catenae non collegit* Oecumenius, *neque in Acta Apost. et epist. catholicas, neque in epist. Paullinas, Examinantur argumenta eorum, qui* Oecum. *horum scholiorum collectionem vindicant. Huius catenae praestantia imminuta per* Io. Hentenium, *qui textum N. T. graecum adulterauit ad* Erasmi ἔκδοσιν. *De codicum bonitate, quos auctor huius catenae secutus est. De* τεφαλαίοις Euthalii *eiusque et aliis prologis, deque vestigiis scholiorum* Theodori Mopsuestenii *in hac catena.* §. IX.

De Andreae Caesaraeensis *commentario in* Apocalypsin, *qui Saec. IX. vixit. Ratio interpretationis eius, cuius specimina exhibentur; et distinctio textus in sermones et capita facta.* Arethae Caesaraeensis, *in eumdem librum commentarius non est Saec. VI. Quomodo* Andream *sequatur, quoue minus?* §. X.

De excerptis e catenis a Wolfio *editis.* §. XI.

De origine et fatis catenarum. Origo non ab Olympiodoro *vel* Oecumenio *repetenda; sed a Saec. P. C. N. VI. praesertim a* Procopio Gazaeo. *Quod institutum imitati sunt Latini,* Primasius, Beda, Rabanus Maurus *et alii.* §. XII.

De catenarum vtilitate. Admirabilis Dei hac in re prouidentia. Vsus earum in conseruandis antiquis litterarum monumentis. §. XIII.

Earumdem vsus in interpretatione sacrorum librorum, tum quoad lectionum diuersitatem iudicandam, tum quoad ipsam interpretationem. §. XIV.

Cautiones in vsurpandis catenis adhibendae. §. XV.

Conclusio disputationis. §. XVI.

PROOE-

PROOEMIVM.

Conſideranti mihi nuper QVINCTILIANI *) illud: *Tot nos praeceptoribus, tot exemplis inſtruxit antiquitas, vt non poſſit videri vlla, ſorte naſcendi aetas felicior, quam noſtra, cui docendae priores elaborauerunt:* mirum ſaepe viſum eſt, qui fiat, vt vetera ſapientiae humanae monumenta veluti antiquitate vileſcant et nouiſſima quaeuis vincant plerumque et potiora cenſeantur. Vix reperiri tam iniquos rerum aeſtimatores putaſſem, niſi ſuperiorum temporum memoria nullo non aeuo prodire iuberet, qui, ſui modo ſaeculi genium et felicitatem celebrantes, alto deſpiciant ſupercilio, quidquid a priſcis magiſtris proficiſcitur. Cui nimio nouitatis ſtudio inhaerentes vtinam noſtra aetas tuliſſet pauciores! At non ex longinquo petenda nobis ſunt huiusmodi aut ignauiae, aut arrogantiae, aut, ſi placet, ingrati animi exempla, vbi vel ipſi, qui ad priſca tempora originem referunt, litterarum ſacrarum

*) *Inſtit. Orat.* Lib. XII. cap. 11.

rum interpretes displicent, atque negliguntur; vtpote qui non nisi res publici saporis docere amplius queant. Neque vero hic nostri est instituti, vt in examinandis ac refellendis istis vituperatoribus fusiores simus. Id modo monere liceat, tantum abesse, vt recentiorum labores et consilia facessere iubeamus, vt potius vel ignorata veteribus, vel non animaduersa satis multa, sed a recentioribus bene multa praeclare obseruata occurrere facile demus. Sed facem praeferre in tenebris, viam reddere expeditiorem, inuenire et manu quasi tradere, quibus ignotis alias iam faciliori negotio vti possis, habere denique non pauca a recentioribus neglecta, vel in deterius mutata: haec profecto haud exigua veterum interpretum laus est. Quae cum ita sint, adparet, primum, strenuam in euoluenda et cognoscenda antiquitate operam esse ponendam; deinde egregie mereri de omni re litteraria, praesertim sacra, qui, istis studiis seruientes, praeclara veterum in exponendis litteris sacris monumenta vel publici iuris faciant, vel ab obliuione vindicent et contemtu, eorumque vsum et praestantiam aequa lance ponderent. Quorum quidem molitionibus pro facultate nunc accedere nobis mens est, scribendi materiam sumentes illos vetustioris interpretationis thesauros, quos vsu venit *Catenarum* nomine adpellari. Arduam profecto et non satis tri-

tam

tam ab aliis viam ingredimur. Quae enim ii, quibus perlustrare bibliothecas licuit, de codicibus catenarum manuscriptis, retulerunt, vel pauciora sunt, vel si RICHARDVM SIMONEM *) excipias, infelix plerumque lolium sterilesque auenae. Quae autem Viri eruditissimi THOMAS ITTIGIVS **), multoque illo diligentior IO. ALB. FABRICIVS ***), et IO CHRISTOPH. WOLFIVS ****), de Catenis Patrum ex instituto disserentes, tradunt, vniuerse magis disputata sunt notitiamque librorum dant; rationem vero, vsum, cetera has catenas cum cautione vsurpaturo scitu necessaria non satis suppeditant Huiusmodi igitur praesidiis qui destitutos nos cogitant, faciliores erunt iudices, et si hinc inde occurrant, quae vel magis copiose et grauiter alias dici ac confirmari potuissent, TVLLII *****) effato nos metientur: *Prima sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere.* Nobis certe sat laudis erit vel conciliasse egregiis illis, quae prisca aetas offert documentis, si possumus, aliquam maiorem apud alios famam et auctoritatem, vel

*) *Histoire critique des principaux Commentateurs du N. Testam.* inprimis Cap. XXX. sq.

**) *Tract. de bibliothecis et catenis patrum*, Lipsi. 1707. 8.

***) *Biblioth. graecae*, Vol. VII. p. 728. seq.

****) Vid. eiusd. *dissertatio, catenas patrum graecas, easque potissimum MSS. ex codd. quibusdam Anglicanis sistens.* Vitemb. 1718.

*****) CICERO in *Oratore* Cap. I.

vel obseruationes inspersisse nec doctioribus forte non incundas. Quod consilium vt eo melius obtineatur, deligendum esse duximus campum, largioris messis spem facientem; eumque in hoc litterarum genere apud graecos deprehendimus, quos interpretationi grammaticae librorum sacrorum et N. T. potissimum operam dicasse constat. Quamobrem non nisi de catenis Patrum Graecorum, iisque in N. T. libros differere, quaeque pertinent ad earumdem aliquam notitiam et vsum, proponere bono cum Deo constituimus; de quibus, vt beneuoli sentiant coeptisque faueant docti et aequi rerum arbitri, est, quod magno opere rogamus.

---

§. I.

§. I.

Egregia profecto ea est industria, quam adhibuerunt olim aliqui in colligendis et adornandis iis, quae ad interpretationem librorum sacrorum maxime faciunt et in vastis Patrum commentariis passim reperiebantur. Talis expositionum comprehensio, e diuersis Patrum ecclesiasticorum scriptis facta et disposita, *Catenae* nomine insigniri solet. Nominis originem a THOMA AQVINATE repetendam esse, plurimi existimant *) cuius nimirum collectio in IV. euangelia latine conscripta adpelletur *catena aurea*. Sed alios demum recentiores adiecisse hunc titulum, vel ex eo adparet, quod antiquiores huius operis editiones inscribantur: *glossa continua; continuum;* imo et ipse THOMAS in epist. nuncup. ad VRBAN. IV laborem suum nominet *continuam expositionem*. Graecis dicuntur catenae ἐπιτομαὶ ἑρμηνειῶν, συναγωγαὶ ἐξηγήσεων παρὰ διαφόρων πατέρων, ἐξηγήσεις συλλεγεῖσαι ἐκ διαφ. πατ., σχόλια ἀπὸ διαφόρων ἑρμηνειῶν., χρυσᾶ κεφάλαια, cet; quarum

*) Ita sentit Cel. FABRICIVS l. c. p. 728., quam tamen opinionem deserit p. 786. meliora forsan a RICH. SIMONE edoctus, qui loco superius laudato pag. 473. hac de re disputat. Vid. etiam IAC. ECHARDI scriptores ord. praed. Tom. I. p. 329. qui in recensione vitae huius THOMAE probat, glossam super Euangelia paullo post mortem eius audiisse *catenam auream*.

rum denominationum exempla creberrime occurrunt. Quemadmodum autem catenae proprie sic dictae pluribus constant annulis mutuo nexu cohaerentibus, ita et illae, de quibus iam disserimus, expositionum collectiones variis Patrum symbolis absoluuntur ea ratione, vt vnius commatis complures interpretationes exhibeantur, quamuis earumdem delectus et disponendi modus non idem apud omnes sit, nec aeque commendabilis atque concinnus. Quae autem ab antiquis ecclesiae doctoribus vsurpata sunt interpretandi genera: *grammaticum*, *dogmaticum* et *allegoricum*, ea etiam in catenis graecis expressa deprehendimus; aliud quidem alio magis, prouti vel ii Patrum, quorum scripta in iis vtramque paginam faciunt, vel compilatores genio suo indulgent. Mirari igitur nemo debet, alias catenas fauere allegoriis, alias dogmata magis tractare et sententias, controuersias etiam miscere cum haereticis; alias denique esse, quae vel grammatica magis interpretatione excellant et criticae studeant, vel hoc genus cum reliquis coniungant. Quin imo ex haereticorum commentariis sistunt excerpta, quae licet caute admodum, vti par videbatur, proponantur, tamen euincunt antiquitatis iudicium, non vitanda continuo et reiicienda esse, quae ab haereticis proficiscuntur, propterea quod ab iis proficiscuntur. Certe, quoties THEODORI HERACLEOTAE, THEODORI

DORI MOPSVESTENI aliorumque fragmenta in catenis graecis adseruata contemplamur, toties non possumus quin monumentorum iacturam doleamus, quae omnes mystarum lusus longo post se interuallo relinquunt. Notae autem ipsae vel post textum, vel in margine, vel post integrum sacrae scripturae librum exhibentur. Denique sententias Patrum alias distinguunt et separant collectores et librarii, nonnullas confundunt, easque vel integras sistunt, vel minus; fontes autem siue ad marginem, siue in sermonis serie recensent; frequenter etiam omissis auctorum nominibus nouae interpretationis initium arguunt, adiecta formula καὶ ἄλλως, vel nomine ἀνεπιγράφου. At, quam parum fidos et sollertes sese in hoc negotio gerant, deinceps commonstrabimus.

§. II.

Haec fere de catenarum graecarum ratione vniuersim praemonenda fuere, iisque, vt rectius percipiantur, nunc lucem aliquam adfundere iuuat. Proponemus nempe catenarum graecarum in N. T. exempla, quae typographorum formis expressa perlustrare nobis contigit Prima, quae in conspectum prodit, est catena graecorum Patrum in *Matthaeum* Euangelistam duplex. Prior, cuius quidem collector nobis non innotuit, excusa est s. t.: *Symbolarum in Matthaeum, tomus prior, exhibens catenam Graeco-*

Graecorum Patrum vnius et viginti, nunc primum editam ex bibliotheca illustrissimi D. CAROLI *de Montchall, archiepiscopi Tolosani.* PETRVS POSSINVS *e societate Iesu ex antiquissimis membranis eruit; latina interpretatione et scholiis illustrauit.* Tolosae 1646. fol. Plurima e CHRYSOSTOMO et CYRILLO desumta sunt; THEODORVS autem ANTIOCHENVS a THEODORO MOPSVESTENO in indice Patrum distinctus, vnus est THEODORVS MOPSVESTENVS, quem quidem Antiochiae presbyterum, postea Mopsuestiae in Cilicia episcopum saepius *Antiocheni* nomine in catenis manuscriptis occurrere constat. Auctorum glossae interdum integrae exhibentur, saepius contrahuntur et adulterantur, quamuis, qui istas obseruationes collegere, rectius feciſſent, si ipsa Patrum verba posuissent. Vnde fit, vt confundantur auctores, iisque tribuantur plurima, quae ex diuersorum interpretationibus composita esse intelligas. Huius notae est expositio loci Matth. I. 3. vbi vel maxime cauendum, ne vniuersam ἀναγωγὴν μυστικὴν ad CHRYSOSTOMI ibidem citati partes transferas, cum satis pateat ex eius Hom. III. in Matthaeum, quantum abhorruerit ab eiusmodi elegantiis. Idem Cap. XVI. 16. p. 230. scholii auctor fertur, quod in catena, cui NICETAE nomen praefigitur, CYRILLI est, quemadmodum et pag. 224, θεῖον Χρυσόστομον laudatum in aliqua obseruatione deprehendimus, cuius

ius tamen ibi ipse CHRYSOSTOMVS auctor citatur. Hisce et aliis incommodis medela parari potuisset, si plures et magis adcuratos codices in consilium vocasset editor. Ipse enim in praefat. ad lect refert, prima sui codicis folia maxime fuisse deformata. *Nos in ceteris*, inquit, *diuinando conflictati quantum profecerimus, arbitrii tui sit.* At exempla in promptu sunt, quae eum in diuinando et corrigendo saepius dormitasse commonstrant. Ita Matth. X. 15. p. 139. haec, quamquam non vnius, expositio est: Οἱ μὲν γὰρ Σοδομῖται διὰ τὴν εἰς ἀλλήλους παροινίαν ἐνταῦθα κολασθέντες μετριώτερον ἐκεῖ κολασθήσονται. Οἱ δὲ (Apostolos hospitio excipere recusantes) ἀπειθοῦντες οὐκ οἶδα ὑμᾶς ἀκέσονται καὶ εἰς τὸ πῦρ κ. τ. λ. Haec nullius frugis esse adfirmat POSSINVS et in locum phraseos: οὐκ οἶδα ὑμᾶς ἀκέσονται rescribendum esse censet: οὐκ δὶ ὑμᾶς ἀκέσαντες κακὸν cet. Sed glossae graecae verba optime cohaerent, nec violenta talis et jejuna emendandi ratio vmquam probari potest, si vel maxime concedamus, auctoris illius anthithesin non optimam esse. Cum autem interpretes catenarum latini eo plerumque vitio laborent, vt interdum plus iusto verborum tenaces sint, interdum magis velint sapere ac scriptor ipse, quem vertunt, nec satis fideliter et perspicue auctorum sensa exprimant; ita et eamdem notam incurrit versio POSSINI, qui, ipso se fatente in praef. ad lect., in

lati-

latinitatis delectu non fuit morosus et sermonem graecum paullo benignius interdum paulloque liberalius explicauit. Quae quidem aliqua ratione condonari possent, nisi, characterem orationis graecae plane deserens, versioni insereret, cuius ne vllum quidem vestigium apud auctorem deprehenditur. CHRYSOSTOMVS ait ad Matth IX. 32. p. 130. δεδεμένος γὰρ ἐτύγχανε τὴν γλῶτταν ὑπὸ τῦ δαίμονος. Διὰ τῦτο οὐδὲ ζητεῖ πίστιν παρ' αὐτῦ ὁ Χριστὸς, eaque reddit POSSINVS: *Vinctam quippe ipse habebat a daemone linguam AVRESQVE OBDVCTAS; quare fidem, QVAE SINE AVDITV ESSE NEQVIT, non quaerit ab hoc dominus* En dignum crisis specimem! Si vel contulisset CHRYSOSTOMVM *Homil.* XXXIII. pag 366. edit. *Montefalconii:* profecto dubitasset in scholio subjuncto iudicium istud interponere: *Et hic noster et* THEOPHILACTVS *hoc loco* σπεύδοντες τυφλὰ τίκτεσιν, *dum, inquam, breuitati nimium studet, sententiam imperfectam mutilamque exhibent, quam necesse habuimus, additione vnius et alterius verbi ab ineptia et* ἀσυλλογισία *vindicare* Cum THEOPHILACTI hic mentio iniecta sit, non possumus non commemorare, quam amice catena nostra cum eiusdem in *Mathaeum* commentariis conspiret. POSSINVS quidem in praef persuasum sibi habet, collectorem nostrum vna cum THEOPHILACTO, hausisse e CHRYSOSTOMO, tamquam communi fonte. Sed curiosa lectione

ctione scholiorum vtriusque et eorum collatione cum CHRYSOSTOMO edocti sumus, catenae huius auctorem cum THEOPHYLACTO etiam consentire, vbi hic CHRYSOSTOMI castra deserit et in aliorum sententias descendit, ita, vt cum catenae excerptis CHRYSOSTOMI nomine exornatis notae THEOPHYLACTI, si verba spectes, saepius; si sententiam, fere vbiuis conueniant, tametsi in homiliis suis CHRYSOSTOMVS alias a THEOPHYLACTO alienas interpretationes defendat *). Parum igitur abest, quin existimemus, auctorem huius collectionis desumtis e THEOPHYLACTO obseruationibus CHRYSOSTOMI nomen addidisse, cuius nempe vestigia legere illum bene nouerat; reliqua autem aliunde contulisse **).

*) Ita Matth. XXVI. 25. 26. catenae auctor sub CHRYSOSTOMI nomine recenset opiniones, quarum vna statuit, Iudam sacrae coenae conuiuam fuisse; altera negat. Ibid. ad verba: τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα notatur: ἀῤῥήτῳ γάρ τρόπῳ μεταποιεῖται, κἂν φάνεται ἡμῖν ἄρτος. Ibid v. 27. ad verba; *Bibite ex eo omnes: Sunt qui dicant, propter Iudam hoc dictum: Iudas enim panem accepit, et non comedit, sed occultauit, vt monstraret Iudaeis, quod panem corpus suum vocasset Iesus.* Haec omnia apud THEOPHYLACTVM; numquam apud CHRYSOSTOMVM reperies, coll. *Hom.* 82. in Matth.

**) Emendari etiam egregie potest catena nostra e THEOPHYLACTO. Sponte occurrit glossa, CHRYSOSTOMI nomine consignata, Math. XXVI. 24. p. 348., qua negatur, Iudam ex

§. III.

Altero nunc loco commemoramus catenam in *Matthaeum h. t.*: *Symbolarum in Matthaeum tomus alter, quo continetur catena Patrum Graecorum triginta, collectore* NICETA *episcopo Serrarum, interprete* BALTHASARE CORDERIO, *Societatis Iesu Theologo Prodit nunc primum ex bibliotheca electorali sereniſſimi vtriusque Ducis Bauariae.* Toloſae 1647. fol. Miſſam eamdem a CORDERIO publica luce donauit P. POSSINVS; non ſatis certum tamen, quod huius catenae auctor ſit NICETAS Saecul. XI. primo Serrarum in Macedonia, poſt Haracleae in Thracia metropolita. Ea enim librariis et editoribus eſt conſuetudo admodum familiaris, vt, vbi alicuius gloſſam in initio catenae deprehendunt, hunc ſtatim collectorem praedicent; qua culpa noſtrum non vacare oſtendit RICH. SIMON. l. c. p. 426. Patrum, e quorum libris facta eſt haec ſylloge, ſententiae integrae, haud

ex abſoluto, vt aiunt, decreto tantum admiſiſſe nefas, εἰ γὰρ ἀκριβῶς σκοπῆσαι βεληθῶμεν, εὑρήσομεν διὰ τὸ ϛαυρωθῆναι ἐλθόντα τὸν Χριϛόν. τοῦτο δὲ φανερόν ἐϛιν ἐκ τοῦ ἀπεύχεϑαι τὸ ποτήριον, λέγοντα, εἰ δύνατον παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ. Quae minus commode dicta cum apud CHRYSOSTOMVM non inueniantur, ex THEOPHYLACTI verbis ita ſunt corrigenda: Καὶ γὰρ εἰ ἀκριβῶς σκοτήσεις οὐδὲ ἤθελεν ὁ Χριϛὸς ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΩΣ ϛαυρωθῆναι, ἐμφαίνει δὲ τοῦτο καὶ διὰ τοῦ ἀπεύχεϑαι τὸ ποτήριον.

haud raro immutatae, proponuntur. NICETAE autem scholia, quae CHRYSOSTOMI, CYRILLI aliorumque paraphrases dicere non dubitamus, respondent praecipue THEOPHYLACTI obseruationibus. Prolixius tamen differit NICETAS, quemadmodum et in praefatione ad *Matthaeum*, THEOPHYLACTI προοιμίῳ ceterum simillima. Quae autem CHRYSOSTOMI nomen prae se ferunt, integra sunt neque cum aliorum explicationibus confusa, si pauca minoris momenti excipias *). Vtramque hanc catenam e MSS. exemplaribus bibliothecae regiae Parisiensis longe emendatiorem exhiberi potuisse, refert RICH. SIMON l. c. p. 423. et DAN. NESSELIVS **) recensens Commentarium marginalem codici IV Euangeliorum adiunctum, quem visum esse CORDERIO et POSSINO negat. Hypothesin et recensionem capitum euangelii *Matthaei*, vitam denique eiusdem Euangelistae iisdem ibi verbis exstare meminit, quibus in catena Patrum, cui NICETAE praefatio adnectitur. Quod autem ad latinam catenae nostrae versionem attinet, ei ne mediocris quidem elegantiae laus tribui potest; veluti pag. 225. vbi glossa MAXIMI ad Matthaei

*) Vt in loco *Matth.* II. 16. p. 53. vbi τὸν Μιχαίαν substituere librario placuit, CHRYSOSTOMO legente τὸν προφήτην Hom. IX. in Matth. p. m. 131.

**) in *catalogo biblioth. Caesar. Vindobonensis MSCt. graec.* p. 231.

thaei VI, 11. ita se habet: τάχα ἄρτος ἐστὶν ἐπιούσιος, ὁ εἰπὼν λόγος, ἐγώ εἰμι ἄρτος ὁ ζῶν, ὁ ἐκ τῦ οὐρανῦ καταβὰς καὶ ζωὴν διδὰς τῷ κόσμῳ, ὃν σήμερον, τυτέστι κατὰ τὴν παρῦσαν ζωὴν τῆς θεότητος παρακαλῦμεν ἡμῖν δοθῆναι. Quae ita reddit CORDERIVS: *Fortis panis est supersubstantialis, quod dixit verbum: Ego sum panis viuus, qui de coelo descendi, et dans vitam mundo, quotidianum, id est praesentem deitatis vitam nobis dari postulamus.* Quae quam absona sint et quam longe a vero aberrent, cognoscet, qui vix a limine litteras graecas salutauit. Loca autem S. S. in illa versione iuxta *Vulgatum* interpretem citantur; si exceperis fere locum 2 Tim. II. 24. p. 470. adductum.

§. IV.

Excipiat hanc *catena graecorum patrum in Euangelium secundum Marcum, collectore atque interprete* PETRO POSSINO *S. I. presbytero, qui et adiecit, titulo spicilegii, commentarium ad loca selecta quatuor Euangeliorum. Accessere collationes graeci contextus omnium librorum noui testamenti cum XXII Codd. antiquis MSS. ex bibliotheca Barberina.* Romae 1673. fol. Eadem e codice MS. bibliothecae CAROLI *de* MONTCHALL a POSSINO eruta in lucem prodiit; qui et alia ipsi a CORDERIO transmissa adiunxit; nempe Ἀνονύμου ἑρμηνείαν εἰς τὸ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον et VICTORIS ANTIOCHENI commentarium in *Marcum*

cum, graece exaratum. Iam antea enim latine VICTOREM vna cum TITO BOSTRENSI typis exscribi curauerat THEOD. PELTANVS e S. I. Ingolstadii 1580., quae quamuis parum fida versio inserta est bibliothecis PP. Parisiensi 1644. Tom. I. et Lugdunensi 1677. Tom. IV. pag. 370. Occurrunt in hoc VICTORIS commentario scholia ex ORIGENE, EVSEBIO, CHRYSOSTOMO, APOLLINARIO cet decerpta, et ipse collector in limine operis fatetur, visum ipsi fuisse, quae ecclesiae, doctores sparsim proposuerunt, in vnum quasi corpus redigere; adeoque ad catenas referendam esse hanc ἑρμηνείαν facile liquet. Pugnat etiam pro hac sententia RICH. SIMON l. c. L. III. p. 427. et *Critique de la biblioth. de du Pin. T. I.* p. 173. 174.; vbi collatis diligenter codicibus refert, catenam VICTORIS ANT. alibi sub ORIGENIS, alibi sub CYRILLI ALEX., interdum et VICTORIS nomine venire; quin imo et MONTEFALCONIVS in *bibliotheca Coisliniana* pag. 75. obseruat, hunc ita dictum commentarium in catena quadam VICTORI Presbytero tribui quidem, sed PHOTII nomen saepius etiam in margine adesse. At mirari profecto nemo debet, deceptos esse librarios, qui, artis suae numeros male implentes, prouti ab initio exstabat scholiastae alicuius nomen, huius statim commentarium incauti venditabant. Quare fundamento caret suscepta a PELTANO opinio, qua, in ep. ded. ad episcopum *Marquardum*

dum a Berg, ante IVLIANI Imperatoris tempus exſtitiſſe hunc VICTOREM ſibi perſuaſum habet, propterea quod ipſe VICTOR ad Cap. XIII adfirmet, reſtare adhuc ruinas templi Hieroſolymitani; licet ad fundamenta vsque euerſi Sed haec eſt gloſſa CHRYSOSTOMI Hom. LXXV. in Matth. p. m. 723. cuius aetatem excedere VICTOR non poteſt. Ad calcem catenae in *Marcum* a POSSINO editae ſunt IO. CARYOPHILI collationes graeci contextus omnium librorum N. T. iuxta editionem Plantinianam, cum conquiſitis iuſſu VRBANI VII. P M. MSS. codicibus e *Vaticana* potiſſimum et *Barberiniana* bibliotheca. At illorum XXII. codicum cum permulti adeo e latina interpolati ſint, nec aetas et ratio ſatis conſtet, in diiudicanda lectione parum emolumenti praeſtare queunt *). Plura, de indole catenae in *Marcum* quae addamus, nobis non ſuppetunt; propterea quod exemplar graecum perluſtrare nobis nondum contigit.

§. V.

Accedimus iam ad catenam inſcriptam: *Catena ſexaginta quinque graecorum patrum in Lucam, quae quatuor ſimul Euangeliſtarum introducit explicationem; luce ac latinitate donata et ex aliis patribus tam graecis quam latinis ſuppleta et adnotationibus illuſtrata* a BALTHASA-

*) Vid. *Wetſtenii* prolegom. in N. T. p. 61 ſq.

THASARE CORDERIO S. I. Antwerpiae, 1628. fol. Primum eius exemplar, narrante CORDERIO in praef., graece exstitit in Card. BESSARIONIS bibliotheca, quam moriens reipublicae Venetae legauit Vnde eam in latinum sermonem transtulit CORDERIVS; ea, quae *Lucas* non attigerat, per harmoniae morem e reliquis Euangelistis suppleuit, postremo ex aliis patribus adiecit scholia et notis ea illustrauit. Exhibetur autem post praefationem index patrum, e quibus coniuncta est haec catena; ad quem haec modo licet obseruare 1) SERVIVM Cap. VII. n. 38. citatum quis fuerit ignorari censet editor; nisi, inquit, quis velit eum esse SERGIVM, errore scribae littera B pro Γ posita. At vtrumque nomen est fictum et legendum: SEVERVS *). 2) Errat CORDERIVS, quod SEVERVM *Antiochenum* discernat a SEVERO, quem *Alexandriae* episcopum vocat; non aduertens ad compilatorum aeque ac librariorum consuetudinem, qua scriptorum dignitatem aliaque cognomina alias adiungunt, alias omittunt Certe SEVERVS ille, si, quemadmodum coniicit CORDERIVS, exarauit libellum de ritibus baptismi, Tom. VII. bibl. PP. exstantem, non alius est nisi SEVERVS *Antio-*

*) Vid. COTELERIVS in notis ad const. apost. I. 3. pag. m. 279. vbi illud ipsum SEVERI fragmentum, in catena nostra decurtatum, e codice bibliothecae regiae Parisiensis integrum restituit.

Antiochiae episcopus, probante RICH. SIMONE *hist. crit. des commentat.* p. 452. e codice huius libri Syriaco SEVERI *Antiocheni* nomine inscripto. 3) Quae de TITO Bostrensi episcopo disputantur, infirmo talo stant et emendanda sunt. Exstat nempe in *Lucam* commentarius, quem sub TITI BOSTRENSIS nomine e graeco in latinum vertit et cum VICTORE *Antioch.* in Marcum primus edidit THEOD. PELTANVS S. I. Ingolstadii, 1580.; quae versio inserta est *biblioth. PP.* Lugdun. Tom. IV. p. 415. et addito tunc primum graeco textu e manuscripto codice bibl. regiae Tomo II. *auctarii bibl. PP.* Paris. 1624. pag. 762 sq. At inane est, quod CORDERIVS et alii arbitrentur, eum TITI BOSTRENSIS, cuius IV. libri aduersus Manichaeos exstant, esse commentarium, cum potius scholia comprehendat e CHRYSOSTOMO, CYRILLO, GREGORIO NYSSENO, ISIDORO PELVSIOTA et aliis, quorum nomina comparent, adornata. Accedit Codex MS. bibliothecae regiae, RICH. SIMONI visus, hoc titulo: Τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Τίτυ ἐπισκόπυ Βόστρων καὶ ἄλλον ἁγίων πατέρων ἑρμηνεία εἰς κατὰ Λυκᾶν ἅγιον εὐαγγέλιον. Cum praeterea SOZOMENO teste H. E. L. II. c. 14. TITVS ille Bostrorum in Arabia episcopus vitam degerit IVLIANI apostatae temporibus, ἑρμηνεῖς autem CHRYSOSTOMI et CYRILLI in hoc opere deprehendantur, quin imo eiusdem exstent exemplaria manuscripta, alia aliis magis conci-

conciſa: non dubitamus tranſire in RICH. SIMONIS ſententiam, qui l. c. p. 430. exiſtimat, Scholiaſtas recentiores huic TITI BOSTRENSIS quondam commentario hinc inde pannos adſuiſſe. COMBEFISII enim de TITO quodam iuniore opinio idoneis deſtituitur argumentis*) Interim tamen cum non diſcernantur interpretationes, earumque fontes in nonnullis tantum locis nominentur, nunc quidem non ſatis conſtat, quae ſint TITI, quae aliorum ſcholia**). Quae autem in catenam Corderianam inde translata ſunt, ea vti reliqua non aeque bene ſemper et ſatis feliciter recenſentur. Atque haec ſufficiat adnotaſſe de collectione illa, quae longe auctior et vtilior futura fuiſſe videtur, ſi graecum exemplar nobis tradere editori placuiſſet.

§. VI.

*) Vid. IAC. BASNAGII animaduerſiones ad HENR. CANISII lectiones antiquas Vol. I. p. 56.

**) In limine huius collectionis ſtatim offendimus gloſſam ad verbum ἐπεχείρησαν Luc. I, 1. non adiuncta auctoris mentione; cum tamen ſit ORIGENIS Hom. I. in Lucam, Opp. Tom. III. p. 793. edit. *de la Rue*. Attulit eam paucis mutatis RICH. SIMON. loc. cit. e catena MS. in Lucam, cuius margini adſcripta erant: τὰ ἁγία Τίτα ἐπισκόπα Βόστρων καὶ Ὠριγένους. Alia plura ex ORIGENE ducta eſſe adparet, ſi homilias eius in *Lucam* ac praeſertim GRABII et COMBEFISII ſchedas conferas, in elegantiſſima operum ORIGENIS editione, quam modo commemorauimus.

§. VI.

Longe meliori nomine ſeſe commendat *catena patrum graecorum in S. Ioannem ex antiquiſſimo graeco codice MSto, primum* in lucem edita a BALTH. CORDERIO S. I. Antwerpiae, 1630. fol. Memorat editor in praef., fuiſſe nonnullos, qui conquererentur, eum in edenda catena in *Lucam* multitudini potius, quam doctis morem geſſiſſe; quibus vt ſatisfaciat, prodire nunc in conſpectum alteram hanc in *Ioannem* graece, iuxta exemplar MS. graecum, rotundo ac diſtincto charactere in membrana eleganter et adcurate conſcriptum, quod HERIBERTVS ROSWEYDVS et PETRVS LANSSELIVS e *Cuſani* bibliotheca Treuiris Antverpiam reduces attulerint. Splendida ſunt nomina AMMONII, CHRISOSTOMI, CYRILLI, EVSEBII, THEOD. HERACLEOTAE, THEOD. MOPSVESTENI, SEVERI, PHOTII et ORIGENIS, quorum praeter alios in hac catena fit mentio. Eorumdem ſententiae vel κατὰ ῥητὸν proponuntur; vel, quod fit tamen non ita frequenter, in compendium redactae ſunt et confuſae cum aliis. Illud praeſertim CHRYSOSTOMI ſcholiis accidit, quae vbi ad verba exhibentur, auctoris et loci mentione ab editore conſignata ſunt. Huius autem documentum exſtat Cap. II. 1., vbi ORIGENES impugnat Manichaeos, Mariam Chriſti matrem eſſe negantes, ipſo tamen iuniores. Ita quoque

Cap.

Cap. XIII. 6 – 11. nota APOLLINARII cum THEODORI HERACLEOTAE obseruatione confunditur. Ceterum dogmata praecipue tractat catena nostra et controuersias cum haereticis, vt MONTANO, iuxta scholion CHRYSOSTOMI in catena NICETAE ad Matth XXIV. 5., se ipsum dicente λόγον καὶ νυμφίον, καὶ παράκλητον καὶ καντοκράτορα. SABELLIO, ARIO, cuius tamen sectatores ad Cap. V, 18. vocantur ἄνομοι male pro Ἀνομοίοι; aliis etiam. Neque criticas praetermittit obseruationes; qualis est AMMONII p. 436. ad Ioh. XIX. 14. vbi adparentem Euangelistarum dissensum, circa horam crucifixionis ita conciliare studet: ὁ δὲ καλλιγράφος ἀντὶ τῦ Γάμμα στοιχείῳ, ὅπερ σημαίνει τὴν τρίτην, ἔγραψε τὸ ἐπίσημον, ὁ καλῶσιν οἱ Ἀλεξανδρεῖς Γάμεξ, ὅ δηλοῖ τὴν ἕκτην, πολλὴν ἔχοντα πρὸς ἑαυτὰ τὴν ὁμοιότητα, καὶ διὰ τῦ γραφικῦ σφάλματος γέγονεν ἡ διαφωνία. Eamdem sententiam amplectitur SEVERVS ANTIOCHENVS *), existimans, errorem hunc ab iis inspersum esse, qui ab initio Euangelia descripserint; transferentibus nimirum litteram Gamma in signum senarii; adeoque apud *Ioannem* similiter vt apud *Marcum* horam tertiam esse intelligendam

*) Perperam in SEVERI scholio tribuitur haec sententia EVSEBIO Caesareensi ἐν ταῖς πρὸς Μαρῖνον ἐπὶ ταῖς τῦ Σωτῆρος πάθεσι καὶ τῆς ἀναστάσεως ζητήσεσι καὶ ἐπιλύσεσι. Ad MARINVM enim scripsit SEVERVS, non EVSEBIVS, vti patet ex MONTFALCONII *bibl. Coislin.* p. 54 sq.

dam *). Quae solutio, quamquam ad libidinem ficta, tamen antiquitatis consuetudinem comprobat litterarum notis designandi numeros.

§. VII.

Iam attingamus THEOPHYLACTI scholia in IV. Euangelia, Acta Apost. et epistolas Paulli. Vt autem ordiamur ab eiusdem ἑρμηνείᾳ εἰς τὰ τέσσαρα εὐαγγέλια, eam catenae vicem substinere vix vllus negauerit. Congessit nimirum ille Achridis in Bulgaria Archiepiscopus excerpta e patrum graecorum scriptis eaque, additis subinde suis sententiis, ita disposuit et adornauit, vt expositio continua eiusdem collectio vocari possit. Inprimis autem in CHRYSOSTOMI lectione diu multumque versatus ea quasi in compendium redegit, quae in aureis illius commentariis occurrunt et interpretationi N. T. grammaticae inseruiunt. Colligimus haec cum ex sedula vtriusque scriptoris collatione, tum e codicum manu scriptorum testimonio, qui in fronte habent: Θεοφυλάκτου τοῦ ἀρχιεπισκόπου Βουλγαρίας ἐπιτομὴ τῶν τοῦ Χρυσοστόμου

*) Idem sentiunt THEOPHYLACTVS ad h. l. et alii. Quae res documento est, plurimos olim genuinam reputasse lectionem nostram vulgarem Marci XV, 25. neque debilitari haec testimonia auctoritate *Constit. Apost.* L. V. c. 14. p. m. 318., quas constituit iudices GVIL. WHISTONVS *in the sacred History of the New Testament* p. 277.

σοσόμε ἐξηγητικῶν εἰς τὸ κατὰ etc. Eumdem vero et ex aliis fontibus hauſiſſe edocent codices; vt vnus bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis teſte LAMBECIO in commentar. de hac bliblioth Lib V. p. 49., vbi eius ἐξήγησις ſumta dicitur ἐκ τῦ θείε Χρυσοσόμε καὶ ἄλλων τινῶν ἁγίων πατέρων; item alius regiae Pariſienſis, qui ἑρμηνείαν Θεοφυλάκτε adpellat συντεθεῖσαν ἐκ διαφόρων ἁγίων, referente RICH. SIMONE l. c. p. 400. Arguit idem quoque adiecta interdum formula τινὲς φάσι, vel καὶ ἄλλως (ἄλλος), quam poſteriorem notam conſtat ſignum eſſe, quo, qui id adhibuerit, ignorare ſe auctorem obſeruationis teſtaretur *). Oſtendit denique illud ipſa eiusdem cum aliis inſtituta comparatio **), qua etiam

*) Vid. ſcholion catenae MSctae apud MONTEFALCONIVM *bibl. Coislin.* pag. 61.

**) Ita conſpirat cum ORIGENE, Matth. XXII, 16. *Hic autem dominus haereſin refellens Saducaeorum, quae animam immortalem non eſſe ſciſcebant, ſed penitus interire*, coll. ORIGENE in *Matth.* Opp. Tom. III. p. 810. Porro idem Hom. 39. in *Lucam* p. 978. *Duae ſunt imagines hominis: vna, quam accepit a Deo factus in principio, ſicuti in Geneſi ſcriptum eſt; iuxta imaginem et ſimilitudinem Dei; altera choici i. e. terreni*, cet. Simile quid THEOPHYLACTVS in *Lucam* C. XX, 20. Paſſim tamen eum ipſum confutat; vt ad Matth. C. XXV. 46. vbi ORIGENEM dicit φλυαρεῖν, qui ſuppliciorum finem fore exiſtimet. Vid. et nota ad Luc. XVI. 26. Sic gloſſa ad Luc. X. 18. p. 381. τινὲς δὲ τὸ ἀπ' οὐρανὲ οὕτω νοῦσι, τετέχιν, ἀπὸ δόξης eſt CYRILLI, teſte TITO BOSTRENSI in com. p. 792.

etiam adparet, eum suppeditare sententias, a CHRYSOSTOMO maxime dissidentes. Vnde vt verbis vtar SIXTI SENENSIS *bibl. sanct.* Lib. IV. p. 329. *allegorias quoque cum aut nullas aut raras apud*, CHRYSOSTOMVM *inuenisset, ex aliorum commentariis suppleuit et suis locis aptissime adcommodauit.* Dubitamus autem, quascumque allegorias, quae frequentes admodum et frigidae THEOPHYLACTI scholiis adsperſae sunt, eiusdem partibus adsignandas esse. Etenim 1) non obuia est in notis THEOPHYLACTI ad epistolas *Paulli* talis interpretandi ratio; quae scholia, quamuis in se spectata e genere dogmatico et morali sint, tamen in tractandis locis historicis e. c. Galat. I, 2. vel nominibus propriis e. g. Rom. XVI., ab iis ingenii lusibus abhorrent, quibus fere scatent adnotationes ad Euangelia 2) Ipsa codicum diuersitas et nota καὶ ἄλλως, subinde interpolatum esse THEOPHYLACTVM, arguit. Ita, quemadmodum colligi debet e versione OECOLAMPADII, in codice Basileensi ad locum Ioh. I, 13 deprehenditur glossa, quae in aliis plane deest; et RICH. SIMON l. c. pag. 392. duorum codicum MSS. Bibl. Reg. meminit, qui scholiis duobus, formula καὶ ἄλλος alibi consignatis, destituti sint. Quamquam enim constet, formulam istam, a scholiastis graecis vsurpatam, semper additamenti signum non esse, qui tamen fit, primum, vt THEOPHYLACTVS iisdem verbis rarius adeo vtatur; quin

quin imo et diuersorum interpretum sententias continua serie recensеat; e. c. 1 Cor. II, 13.? deinde, vt illis potissimum scholiis, quae insigniuntur formula: καὶ ἄλλως, codices aliqui careant, quemadmodum ex adductis a RICH. SIMONE loc. cit. exemplis videre par est Interim tamen tantum abest, vt omni allegorica interpretandi ratione abstinuerit, vt potius ex hoc genere complura sensus pios promouendi gratia adiecisse eum existimemus; quemadmodum et ERASMVS, quamquam egregius grammaticae interpretationis fautor, elegantissimae IV. Euangeliorum paraphrasi allegorica subinde insperserit, in paraphrasi epistolarum N. T. rarissime obuia. Iam quod ad methodum attinet, qua vsus est THEOPHYLACTVS in concinnandis patrum symbolis, eas praecipue delegit sententias, quae dogmatum rationem habent, adiunctis interdum argumentis aduersus haereticos; ita, vt vniuersam fere patrum graecorum theologiam nobis delineatam exhibeat; quorum tamen quaedam de libero arbitrio, fide, praescientia dei cet. minus adcurate, vti a multis graecis doctoribus ante lites Pelagianas disputata, cautum omnino et ingenuum lectorem sibi deposcunt. In lectionum diuersitate, ducem plerumque sequitur CHRYSOSTOMVM. Sed cum vestigia ipsius deserit, in lectione interdum ab omnibus versionibus et aliis patribus discedens, tantummodo codicum

dicum manu scriptorum auctoritati obtemperat. Ita Matth. III, 11. in eo desunt verba καὶ πυρὶ, Cap. V, 44. cum paucis quibusdam patribus legit τοῖς μισοῦσιν et ibid. v. 47. pro ἀδελφοὺς multis cum codicibus φίλους Marci Cap. III. 11. in locum singularis προσέπιπτεν, ἔκραζε substituit pluralem προσέπιπτον, ἔκραζον; et Lucae VI, 23. pro χαίρετε ad multorum codicum fidem habet χάρητε Inprimis autem consentit cum versione Syriaca; in Lectionibus praesertim illi propriis, vel etiam cum codicibus ad eamdem conformatis. E. c. *Matth.* V, 27. praetermittit verba: τοῖς ἀρχαίοις, et VI, 18. ἐν τῷ φανερῷ. Cap. VII, 2. autem legit μετρηθήσεται. Marc. II. 8 cum Syro et aliis codd. voci οὕτως subiungit αὐτοὶ et voci ἁμαρτίαις addid σᾶ. Similiter Cap. IV, 8. legit ἐν τριάκοντα, v. 9. deest μύτοῖς, v. 31. habet ὡς κόκκον. *Luc.* VI, 9. loco ἀπολέσαι adest ἀποκτεῖναι et Cap. VII, 31. rectissime omittit cum multis codicibus et Syra versione eiusque sequacibus verba: εἶπε δὲ ὁ Κύριος, itemque Luc. VIII, 3. αὐτοῖς pro αὐτῷ. In lucem prodierunt hi THEOPHYLACTI in *IV. euangelia enarrationes, denuo recognitae Io. Oecolampadio interprete*, Basileae (apud *Andr. Cratandrum*) 1525. fol. Loca autem complura arguunt, codicem Basileensem, quo vsus est OECOLAMPADIVS, ab aliis manuscriptis et impressis exemplaribus in multis discedere. Ita Ioh. I, 13. quae OECOLAMPADIVS habet, desunt in tri-

tribus codicibus Venetae bibliothecae Marcianae, et in Romano illo, quem versio P. MONTANI sequitur, in quo etiam alia occurrunt, non obuia in codice OECOLAMPADII, vt post Matth. V, 13, Edit. Paris. p. 27.; v. 22 post συνεδρίῳ p. 30.; aliisque in locis hi duo codices plane diuersa habent, e. c. ad Ioh. XXI, 17 sq. Ed. Paris. p. 843. et OECOLAMP. p. 219. b., qui paullo ante, admonitis tamen lectoribus, ex ingenio locum in codice suo mutilum restituerat. Haec versio OECOLAMPADII, tametsi non sit optimae latinitatis nec adcurata vbiuis, tamen in omnibus horum THEOPHYLACTI commentariorum editionibus seruata fuit, et emendata per PHILIPPVM MONTANVM A. 1545., et iterum A. 1552. ad codicem Romanum, qui graece prodiit Romae 1552 fol. Sed multa confuse posuit *), nisi forte id typographo

*) E. g. Matth I, 20. *Ne timeas accipere. Ostendit hic quod metuerit habere eam, ne forte offenderet deum, vti adulteram fouens, et aliter, ne timeat, hoc est, tu quidem times adiungi illi, quia ex spiritu concepit, sed ne timeas accipere, hoc est, domi et intus tenere.* Quae ita disponenda sunt: *Ostendit hic, quod metuerit habere eam, ne forte offenderet deum, vti adulteram fouens.* ET ALITER: (Hoc nouae glossae indicium est). *Ne timeas, hoc est, tu quidem times adiungi illi, quia ex spiritu concepit, sed ne timeas.* ACCIPERE, *hoc est, domi et intus tenere.* Sic Matth. V, 1. *Docens nos, nihil ad ostentationem esse faciendum, ascendit in montem. Quandoquidem autem*

pho potius tribuendum sit; multa etiam inepte ab OECOLAMP. conuersa sine emendatione reliquit *). Hanc editionem Romanam ad verbum exprimit Editio Parisiensis apud C. MORELLVM 1631. fol. retenta adeo praefatione, in qua ad fraudem tegendam, pro Paulli III. P. R. nomine, Morellorum nomen positum est, quibus omne hoc opus debeatur; insertis etiam eidem versioni lectionibus diuersis, quas olim in marginem coniecerat MONTANVS. Longe praestantiores et correctiores hi THEOPHYLACTI in IV. euangelia commentarii sistuntur Tomo primo splendidae illius collectionis operum THEO-

tem docturus erat, erudit nos a media secedere turba, quando docendum. Quisnam haec capiet, nisi ita discernantur: *Docens nos, nihil ad ostentationem esse faciendum. Ascendit in montem, siquidem docturus erat; erudit nos a media secedere turba, quando docendum.*

*) Ita Matth. I, 1. adest glossa ἐχρίοντο γὰρ τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ τῷ ἀπὸ τῆ κέρατος τῆ ἐπιτιθεμένου τῇ κεφαλῇ ἀναβλύζοντι. Haec ita reddit interpres: *Inungebantur enim oleo sancto a cornu, quod superponebatur capiti et distillabat,* cum τῆ ἐπιτ. τ. κ. ad κέρατος & ἀναβλ. demum ad ἐλαίῳ pertineat. Similiter notam ad Matth. V, 23. καταφρονεῖ ὁ Θεὸς τῆς οἰκείας τιμῆς ἵνα ἡμεῖς μόνον ἀγαπῶμεν vertit: *Contemnit deus proprium honorem tantum vt nos diligamus,* cum potius sit: *vt solum diligamus* (scil. eum). Matth. V, 28. τὸ παρὰ τίνος ἐῤῥέθη, οὐ λέγει *Hoc a certo quodam esse dictum non dicit.* Redde: *Hoc a quonam dictum sit, non dicit.*

THEOPHYLACTI omnium, quae nitidis typis prodire coepit h. t. Θεοφυλάκτε Αρχιεπισκόπε Βλγαρίας ἅπαντα. *Theophylacti, Bulgariae archiepiſcopi, opera omnia, ſiue, quae hactenus edita ſunt, ſiue quae nondum lucem viderunt, cum praeuia diſſertatione de ipſius* THEOPHYLACTI *geſtis et ſcriptis ac doctrina. Tomus primus, continens commentarios in quatuor euangelia ac variantes lectiones ex codicibus graecis Venetis Marcianis et Patauinis S. Iuſtinae deſumtas*, Veneriis 1754. fol. Quae in fronte occurrit diſſertatio, auctorem habet doctiſſimum IO. FRANC. BERNH. MAR. *de* RVBEIS Ord. Praed. monachum, cui etiam curam in adornanda hac editione praecipuam debemus. Textus in hac Euengeliorum interpretatione Romanus eſt; verſio latina autem iuxta Pariſienſem editionem excuſa; addito ad calcem ſpicilegio variantium lectionum e V. codd. Venetis et vno Patauino S. Iuſtinae, in quo multae non contemnendae occurrunt, etiam integra loca, quae adiecta a ſcribis THEOPHYLACTI commentariis videntur *). Illud quoque tenendum

*) E. c. verbis ὅσην ἐν τῷ ἐθνικῷ (pag. 43. edit. Pariſ.) addit codex ille: Ἄλλοι δὲ ἅτως ἡρμήνευσαν τὸ τὸ ῥητόν; Iacobum nempe, cum vidiſſet ſcalam, putaſſe τοπικὸν εἶναι τὸν Θεὸν, καὶ μὴ παντὶ παρόντα καὶ πανταχε. Sed meliora edoctum eum habuiſſe deum omnipraeſentem non τοπικὸν; quam ob rem etiam Chriſtus hoc loco fidem Iacobi com-

dum est, κεφάλαια, quibus Euangelia cum in hoc tum in aliis editis exemplaribus distincta occurrunt, ea esse, quae apud nos obtinent, cum tamen e MSS. praesertim Vaticanis codicibus adpareat, *), THEOPHILACTVM non interrupta textus serie scripsisse; hinc a librariis adiectas esse, quae in eiusdem expositione vulgo habentur, diuisiones. Iam accedimus ad commentarium in Acta Apost. THEOPHYLACTI nomine consignatum, qui e. IO. SAMBVCI codice graeco, cuius meminit LAMBECIVS l. c. p. 49., prodiit Coloniae 1567 fol. adiuncta versione latina LAVRENTII SIFANII, *Prunsfeldii* I. V. D., quae versio etiam inserta est editioni ex officina Heruagiana per Eusebium Episcopium Basil. 1570. fol., cui THEOPHYLACTI commentarii in Euangelia, Epistolas Paulli, in IV. Prophetas minores et Acta insunt, adductis simul in titulo posterioris expositionis nominibus patrum, e quibus eadem collecta sit. Consilium SIFANII in adornanda hac editione ipse in epistola ad IO. SAMBVCVM ita exponit: *Te admonitum velim,*

mendet. *Ibid.* verbis *primogenitus meus Israel* subiicitur Φασὶ δὲ τινὲς & glossa, quae narrat, quemadmodum mari tribuantur κόλποι, ita etiam τὰ πελάγη τῶν ἀπολαύσεων, in quibus versetur Abraham, dici κόλπους τοῦ Ἀβραάμ.

*) Vid. ZACAGNIVS in praefat. ad collectanea monum. vet. ecclesiae graecae et latinae p. 69.

lini, me iis in locis, vbi lectio ſpripti exempli prorſus non tolerari, nec excuſari poſſe videbatur, ad marginem e regione poſuiſſe illam ipſam lectionem, quam correxi; adiecto videlicet verbo habetur *aut* habebatur. *Sed vbi dubitaui de lectione, ſcis enim vnico me duntaxat tuo vſum eſſe apographo, ibi in margine adpoſui aliam lectionem, quam, coniecturas ſequutus, veram eſſe aut debere puto, adiecta videlicet dictione ἴσως.* Maxime tamen veremur, vt illa *Sifaniana* recenſio THEOPAYLACTI nec aliorum potius meſſem exhibeat, propterea quod a THEOPHYLACTI genio et commentandi ratione adeo longe aberret, vt CHRYSOSTOMVM ipſum ethico dicendi genere ſuperet. Subuenerunt interim huius exempli raritati editores operum THEOPHILACTI omnium Tomo III. Venetiis 1758. fol. exhibentes 1) commentarium in Acta Apoſtolica iuxta editionem SIFANII *). 2) Eumdem recens

*) Cum lectiones varias complures ex hoc THEOPHYLACTI comment. in Acta contulerit WETSTENIVS: non poſſumus, quin adiiciamus quasdam ab eodem non obſervatas, in ipſa textus biblici recenſione obuias: Actor. VII, 43. ad marginem notatur, fuiſſe in exemplari hunc locum ita expreſſum: Καὶ ἀνελαβε τὴν τε σκηνὴν τᾶ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τᾶ θεᾶ ὑμῶν Ῥεφὰν, τὰς τύπας, ἃς ἐποίησε. Ita quoque exprimitur in ſubſequenti ſcholio. Cap. X, 39. ἀπήγαγον loco ἀνήγαγον et v. 41. ἀνέςησεν pro ἀνεκάθισε. Cap. X, 33. παρεςήκαμεν loco παρέσμεν; XI, 9. ἐκάθαρε

recens erutum ex Bibl. Vaticana, qui cum in aliis tum praesertim breuitate a *Sifaniano* exemplari discrepat. Latinam interpretationem addidit BONIFACIVS FINETTI Ord. Praed correctis simul ad CHRYSOSTOMI, OECVMENII et SIFANII fidem mendis, quibus laborabat istud exemplar; lectionum autem diuersitate, non tamen omni, ad marginem notata. Quod ad ipsam huiusce exempli seculo fere XIV. exarati indolem attinet, illud a medio circiter septimo capite a CHRYSOSTOMO magis discedit et cum OECVMENII commentario fere ad amussim conspirat, nisi quod eo breuius sit atque prolixiores expositiones praetermittat, quae forte non sunt nisi addita recentius corollaria, Sic quoque index capitum, item peregrinationes Paulli aliaque occurrunt, quemadmodum apud OECVMENIVM. 3) Denique graece tantum ex opographo bibl Florentinae sistitur commentarius in Acta, de quo tamen minime constat, an sit THEOPHYLACTI, licet eiusdem nomine eum exornauerint editores, MONTEFALCONII auctoritatem sequuti. Lacunae vero, quae frequenter in hoc codice occurrebant, e reliquis, praesertim e catena Oxoniensi, expletae sunt. Magis excellunt THEOPHYLACTI scholia in epistolas Pauli

pro ἐκαθάρισε, XIV, 21. post μαθητεύσαντες inseritur ὄχλους, XV, 29. ἀπέχεσθε pro ἀπέχεσθαι, XVI, 6. ante πνεύματος deest ἁγίε et XX, 31. omissa sunt μετὰ δακρύων.

Pauli, quae latine CHRISTOPHORVS PORSENA Romanus Ao. 1462 vertit ac typis vulgavit A. 1477. sub nomine ATHANASII vel Alexandrini, vel, vt alii malunt, nescio cuius Byzantii Secul. XIII. monachi; quamquam recte ERASMVS in notis ad 1 Cor. VII, 27. aliique monuerunt, eadem non esse ATHANASII sed THEOPHYLACTI. Illam interpretationem recognouit IO. LONICERVS, quam deinde nouis curis ad codicem graecum ERASMI contulit MONTANVS 1522. et sub nomine THEOPHYLACTI emendatiorem edidit Basileae 1554 fol. *). Tandem e MS. Arundeliano collatis duobus codd. Oxonienſibus graece in lucem missa est haec THEOPHYLACTI expositio Londini 1636. fol. adiuncta MONTANI sed immutata aliquantum versione, eamque recensionem sequuti sunt, qui curam habue-

*) In praef. quae est Tomo II. Editionis Venetae, monetur, PORSENAE versionem multum a graecis discedere, paraphrasticam esse et nimis liberam, atque adiicere, quae in graecis non sint; LONICERVM vero saepius inepte legere, vt 1 Cor. XIV, 21. ἀποστόλοις pro ἀπίστοις et plures versus omittere, qui in codice Basileensi exstent. Quod ad MONTANVM attinet, cautionem in lectionibus eius adhibendam esse, ex eo constat, quod ipse in praefatione ad latinam versionem Commentarii in Ep. Paulli fateatur, vulgarem Paullini textus versionem, qua vtitur ecclesia, fere ab ipso esse retentam, nisi sicubi THEOPHILACTI interpretatio illam immutare coegerit; quod tamen haud vbique obseruatum est.

habuerunt edendorum operum THEOPHYLACTI omnium Tom. II. Venetiis 1755., nisi quod e codice bibl. Venet. Marci subiunxerint lectiones varias *); sed eas tantummodo, quae alium plane sensum exprimunt neque cum lectionibus Oxonienſibus conspirant. Iam si indolem huius expositionis spectes, ea eximiam eorum messem exhibet, quae grammaticam N. T. interpretationem ornant. In ipsa exegesi autem cum pressius CHRYSOSTOMI vestigiis insistat, tum quoque cum OECVMENIO pari passu ambulare eum saepissime deprehendimus. Ita ad verba paene consentiunt OECVM. in Epist. ad Ephes. p. 26. et THEOPH. in ed. Lond. pag. 526.; OECVM. p. 36. TH. p. 537.; OECVM. p. 43. et TH. p. 544. eamdem aliorum laudant sententiam. Vid. et vtriusque glossa ad Philipp. II, 7. et aliis in locis. Interdum tamen differunt. E. c. Ebr. I, 9. OECVMENIVS ex EVSEBIO refert, legisse SYMMACHVM ἔχρισέ σε ὁ Θεός, ὁ Θεός σε ἔλαιον χαρᾶς παρὰ ἑταίρων σου. At THEOPHYLACTVS ad h. l.: *Quod vero Deus sit, pro, o deus, testis est fide dignus hostis* SYMMACHVS ἐκδοὺς οὕτω; Διὰ τοῦτο ἔχρισέ

*) Speciminis sit loco nota ad Rom. III, 7., vbi post verba ἐστὶν ὁ λόγος editio Veneta habet; ἕτερον, ἃ εἰς τὸ ὧν τὸ κατάκριμα etc. cum Londinensis tantum: ὧν τὸ κατάκρ. et 1 Cor. XV, 24. post τότε δὲ παύσονται. Venet. addit glossam ad verbum καταργήσῃ, quam sequitur καὶ ἄλλως, citato loco Psalmi LVI, 2. *In vmbra alarum tuarum etc.*

σέ σε, Θεέ, ὁ Θεός σε ἔλαιον χαρᾶς παρὰ ἑταίρους σου. Ita Ep ad Ebr. IV, 12. λόγος OECVMENIO est ὑποστατικὸς, THEOPHYLACTO autem προφορικὸς. Eum quoque cum in hac tum etiam in IV. Euangeliorum expositione acrem graecorum dogmatum propugnatorem esse, haud mirum in tanto dissidii aestu, quo scriptoris nostri aetate vndique feruebant ecclesiae. Huc pertinent inprimis doctrinae de pane azymo, de esu suffocati, de precibus pro peccatoribus mortuis, de purgatorio, de immaculata conceptione B. MARIAE, de Spiritu S. non nisi a patre proficiscente. Denique qui adhuc in bibliothecis adsconditus fuerat commentarius in *epistolas catholicas* THEOPHILACTO adsignatus, eum publica luce donarunt editores opp. THEOPHILACTI Tomo III. Venetiis 1758. fol. *), et quidem e codice Vindobonensi graeco CCXXII a LAMBECIO pariter ac NESSELIO p. 161. commemorato. Existimat autem BONIFACIVS FINETTI, qui et latinam versionem adiecit, in praef. pag. 10., hanc expositionem THEOPHYLACTO tribuendam esse, cum propter genium THEOPHYLACTI, quem iste

*) Continet ille Tomus III. commentarios in Acta Apost. et epist. cathol.; institutionem regiam, orationes varias et epistolas *Theoph.* Praefationem addidit et scripta nondum edita latine transtulit BONIFACIVS FINETTI Ord. Praed. monachus. Num tomus IV. et vltimus lucem iam adspexerit, certo nobis nondum constat.

iſte commentarius maxime prae ſe fert, tum vero propter teſtimonium laudati codicis Vindobonenſis; alius etiam huius bibliothecae codicis, qui IV. poſtremas epiſt. cath. comprehendit ex omni parte conſentientes cum commentario laudati codicis in easdem epiſtolas; denique et codicis CCXXVII. Vaticani, continentem IV. poſtremarum ep. cath. ἑρμηνείαν. Ipſe ille commentarius ſenſum litteralem optime exprimit; non nulla tamen ab hoc interpretationis genere aliena adſperſa ſunt. Optime vero eius indoles ex OECVMENIO perſpicitur, cuius ſcholia in Ep. cath. ita ad verbum cum noſtris conſentiunt, vt, qualiscumque ſit diuerſitas, quae, ſaltim in poſtremis epiſtolis, fere eſt nulla, in codicum diuerſitatem poſſit refundi, vbi alio ordine interpretationes, addita etiam forte recentiori manu ſcholia adferuntur *).

Quae

*) Paucis admodum in locis lectio vtriusque differt. Accipe quaedam exempla. Ad Iacobi II, 15. 16. apud THEOPH. p. 322. et OECVM. p. 457. verba ſunt: σκοπεῖ πνευματικὴν — τοῦτο γὰρ τὸ τῆς πίστεως ὄφελος. (THEOPH. τ. π. ἔργον); cui interpretationi apud THEOPHYL. alia gloſſa adiuncta eſt, vsque ad verba: οὕτω καὶ ἡ πίστις etc. quibus vterque in eadem re pergit. Iac. IV. 5. apud THEOPHYL. poſt verba ὕψος πνευματικὸν ſequitur ἄλλως Κυρίλλε et gloſſa, non obuia apud OECVM. p. 469. lin. 30., cuius vicem ſuſtinent, quae a verbis τί δοκεῖτε ὅτι κενῶς vsque ad προαίρεσιν εὐθεῖαν lin. 43. occur-

Quae autem in hac editione praemittuntur sectiones, paene eaedem sunt vt in OECVMENIO edito, sed in textus distinctione recepta apud nos diuisio ab editoribus adhibita fuit. Epistolas enim ipsas et commentarium in codice non interrupto filo recenseri, monet editor in praef. pag. 12.

§. VIII.

Ex eodem genere est EVTHYMII ZYGABENI Sec. XII. monachi monasterii Constantinopolitani, cognominati τῆς Περιβλέπτου, panopliae dogmaticae scriptoris, Commentarius in IV. Euangelia, quem a IO. HENTENIO in coenobio regni Castellae repertum et e graeco in latinum sermonem translatum habemus Tomo XIX *bibl. PP. maximae* Lugd. p. 475. seqq. Concinnata est haec expositio EX ORIGENIS, BASILII, GREGORII NAZIANZENI et CHRISOSTOMI potissimum scriptis, ea, ratio-

occurrunt, in THEOPHYLACTO autem desunt. Addatur 1 Pet. III, 17. 18. vbi ipse HENTENIVS glossam OECVMENII p. 514. obscuram esse fatetur. OECVM. nempe cum THEOPHYL. verba habet ἐν ᾧ καὶ τοῖς κεῖται. Tum THEOPH. addit p. 371. εἰπὼν γὰρ ὅτι ὑπὲρ τῶν ἀδικων ἡμῶν ἀπέθανε, λέγει λοιπὸν, ὅτι καὶ τοῖς ἐν τῷ ἅδῃ κατεχομένοις ἐκήρυξεν, quibus interiectis iterum consentiunt. Ita 2 Petr. I, 15. noster habet μνήμην in textu et glossa et v. 8. ἀκάρπους in textu; OECVM. vero μνείαν et ἀπράκτους. 1 Ioh. II, 11. apud THEOPH. desunt ea, quae apud OECVM. p. 569. praefixa habent verba: Ἄλλως εἰς τὸ etc.

ratione, vt praetermissis omnibus digressionibus, quae vel dictionis venustatem subolent, vel ad corrigendos mores spectant, ea inprimis breuiter et succincte tradat, quae ad sensum grammaticum intelligendum maxime faciunt. Quod auctoris nostri consilium cum aliis viris doctis, cum MALDONATO praesertim acceptum fuit, qui in com. ad Matth. XVII, 8. in verborum proprietatibus diligentissimum eum esse monuit. Dubitarunt autem alii, vtrum EVTHYMIVS, an alius quispiam auctoris laude ornandus sit; ad quos pertinet IO. HENTENIVS, qui in epist. nuncup. refert, plurimis auctorem huius catenae visum fuisse OECVMENIVM. Sed cum illud: *videtur* maxime ambiguum sit, ita nec certius quid euincit adducta a RICH. SIMONE l. c. p. 410. coniectura, qua THEOPHYLACTVM auctorem esse sibi persuadet. Qui enim inter vtrumque intercedit consensus, vel a CHRYSOSTOMO, tamquam communi fonte, fluxit, vel si singularem dogmatum quorumdam tractationem spectes, a stabilitis in ecclesia Orientali fidei capitibus. Verum saepius discedere EVTHYMIVM a THEOPHYLACTO cum in interpretatione, tum in lectione, exempla comprobant. Ita e. c. cum THEOPHYLACTO quidem et aliis codicibus conspirat in lectionibus supra memoratis Matth. III, 11. V, 47. Luc. VII, 31. et aliis. Haud raro tamen singulari lectione gaudet, in quibusdam tantummodo N. T. codicibus obuia;

obuia; vt Ioh VIII, 40. vbi loco παρὰ τῦ Θεῦ EVTHYMIVS legit: παρὰ τῦ πατρὸς isque solus, et XIII, 25. voci ἐκεῖνος subiungit ὅτως: Cum ergo ille recumberet *ita* super pectus Iesu etc. Quod interpretatur: *Ita sicuti recumbebat, hoc est, non eleuatus; sed tantum conuersus* Similiter Ioh. XIX, 16. legit ἤγαγον εἰς τὸ πραιτώριον; Matth. XIII, 27 deest σῷ et Luc XV, 19. omissum deprehendimus διὰ ante ποίας, it. Luc. XXII. 35. recte cum codd. quibusdam omittit καὶ ὑποδημάτων. Sed cautio hic adhibenda est ac diligentia, propterea quod omnes lectionum varietates minime ab EVTHYMIO proficisci, sed multas potius e margine in contextum irrepsisse exploratum est. Refert enim HENTENIVS in praef., margini exemplaris adscriptas fuisse adnotationes, quae deinde in reliquae scripturae ordinem redactae atque post eius particulae textus enarrationem, ad quam ponebantur, ab ipso locatae sint. Vnde etiam haud mirum, quod toties cum exemplari Complutensi graeco et Vulgato interprete congruat, praesertim cum ipse editor mala fide in corrigendo subinde egerit. Ita in recensione locorum quorumdam, in quibus exemplar HENTENII alia habebat, quam ea, quae vulgo circumferuntur, exemplaria, ipse loc. cit. p. 485. narrat, verba Luc. XIX, 15. οἷς ἔδοκε τὸ ἀργυρίον apud EVTHYMIVM non exstitisse; *quod tamen*, inquit, *addidimus, sicut quibusdam aliis in locis idem fecimus, quod in aliis*

aliis exemplaribus et in Complut. editione habeatur. Hisce naeuis facile mederi potuissent editores, si textum Euthymii collegissent e codicibus graecis, praesertim Parisiensibus et Barocciano XXVIII, qui MILLIO quondam in conquirendis lectionibus magno adiumento fuit. Illud quoque sciendum est, EVTHYMIVM iis in locis, vbi argumentum sese offert, quod in alio Euangelista iam dilucidatum erat, transmittere lectorem ad dictam expositionem, citato nimirum iuxta Graecorum supputationem capite; cuius allegandi rationis secundum maiora κεφάλαια institutae mentionem iniiciens SIXTVS SENENSIS Bibl. S. L. III. p. 166. refert: EVTHYMIVS *seu, vt quibusdam videtur,* OECVMENIVS *distribuit Euangelium Matthaei in titulos seu capita 86.* Cuiusmodi distinctiones apud *Marcum* exstant 48.; *Lucam* 83. *Iohannem* denique 18.; non numerata sectione de muliere in adulterio comprehensa, quae narratio quamquam a graecis doctoribus passim omissa, ab EVTHYMIO explicatur *). Neque etiam intactas relinquit sententias,

*) Addit vero EVTHYMIVS in fine cap. VII. Ioh. *Scire autem oportet, quod ea, quae ab hoc loco habentur, vsque ad eum, quo dicitur:* Iterum ergo loquutus est illis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi, *in exactioribus exemplaribus aut non inueniantur, aut obelo confossa sint, eo, quod illegitima videantur et addita. Et huius argumentum est, quod nullus ea sit interpre-*

tentias, quibus ſtant, qui Graece eccleſiae addictos ſeſe profitentur. Qualis eſt illa, quae progenuit contentionem inter graecos et latinos diu olim agitatam; quo ſcilicet die Chriſtus agnum paſchalem comederit? porro doctrina de operum retributione, non ſtatim a morte cuiusuis initium capiente, ſed differenda ad diem iudicii; denique etiam de Spiritu S. a ſolo patre procedente, cui opinioni inhaeſiſſe ſcriptorem noſtrum arguunt loca, quibus Spiritum S. a patre procedere adſerit, nulla filii facta mentione *). Reliqua, quae EVTHYMIINO mine feruntur, ſcripta, nondum edita, num ab eo profecta ſint, exploratum non habemus. Certe quod ad expoſitionem epiſtolarum PAVLLI attinet a nonnullis EVTHYMIO adſcriptam, RICH. SIMON *bibl. crit. de du* PIN. l. c. p. 323. eos EVTHYMIVM cum OECVMENIO commutaſſe iudicat. §. IX.

terpretatus. Sed minus recte verborum EVTHYMII ſenſum percepiſſe videtur HENTENIVS, quoniam in duobus MSS. codicibus, huic exemplari admodum ſimilibus, quos commemorat RICH SIMON l. c. p. 422. verba ita ſe habent: Μηδὲ τὸν Χρυσόςομον ὅλως μνημονεῦσαι αὐτῶν.

*) Ita ad Ioh. XIV, 10. „Et datur quidem a patre, vtpote ab illo procedens, mittitur vero a filio quaſi cooperans et non contrarius. Similiter C XV, 26.: Vide autem, quod mittit quidem eum et filius, tamquam eiusdem cum patre honoris; verum id a patre puta, procedentem. Procedit itaque a patre, tamquam de eius ſubſtantia.“

§. IX.

Iam digni sunt, qui hic commemorentur, commentarii, qui OECVMENII nomine notati, cum ARETHAE interpretatione Apocalypseos Ioannis, primum cura IO. MATTHAEI GIBERTI descripti editi sunt Veron. 1552. fol. a DONATO *Veronensi* *); deinde recusi studio FEDERICI MORELLI h. t.: Οἰκουμένιου ὑπομνήματα εἰς τὰς τῆς νέας διαθήκης πραγματείας, adiuncta interpretatione IO HENTENII, Lutetiae Paris. 1631. 2. Vol. fol. De qua catena optaremus, vt plura dare possemus eaque certiora his, quae vulgo repetuntur; sed. quoniam, quo magis cogitamus istam rem, eo minus certa reperimus, hoc agere constitutum est nobis, vt adpareat id, quod probabiliter disputari potest, contra euitentur errores eorum, qui ab aliis decepti imitando peccasse videntur. Primum si quaeras qualis? vbi? quando exstiterit OECVMENIVS? id totum paene incertum est. Volunt eum Triccensem Episcopum fuisse, quamuis, cur ita sentiant, nihil afferant. Neque tamen hoc recte dictum inficior, siquidem is est, cuius fragmentum e codice Coisliniano

*) Aliam edit. Veronensem anni 1568. commemorat FABRICIVS l. c. p. 788. nec tamen sibi visam; sed eam exstare dubitat RICH. SIMON *critique de la bibl.* de du PIN. Tom. I. p. 313., in cuius *lettres choisies* Tom. I. ep. XI. p. 125 sq. etiam de GIBERTO Episcopo Veronensi disputatur.

niano CCXXIV. MONTEFALCONIVS bibl. Coisl. p. 277. edidit hoc nomine: ἐκ τῶν Οἰκεμενίῳ τῷ μακαρίῳ ἐπισκόπῳ Τρίκκης Θεσσαλίας πεπονημένων εἰς τὴν ἀποκάλυψιν Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου σύνοψις σχολική. Quo tempore vixerit, certo non constat. Id vnum licet dicere, eum ante X vel XI. saeculum fuisse. Nam et MONTEFALC. loc. cit. p. 82. catenam indicat saeculi X codice XXVII. Coislin. comprehensam, in qua saepissime OECVMENII notae occurrant, et THEOPHYLACTVS, qui vixit Saec. XI. ad finem vergente, etiam OECVMENII notas vsurpasse videtur; quoniam vterque, vti diximus (p. 357.), non raro consentit, vbi nullum vestigium est eius, quod vterque alios secutus sit. Ac etiamsi quis dicere posset, THEOPHYLACTVM ab OECVM. fuisse visum, non tamen hoc videtur probabile propterea, quod illum quidem cum OECVM. consentientem reperi in obseruationibus, quae huius sunt propriae, hunc vero in notis ab ipso THEOPHYLACTO additis non item. Accuratius forte posset de eius aetate disputari, si modo verum esset, OECVMENIVM ipsam illam catenam, quae eius nomen in fronte gerit, composuisse. In qua cum PHOTII notae, celeberrimi illius, nisi fallor, Constantinopolitani Patriarchae, deprehendantur, consequeretur, saeculo decimo OECVMENIVM antiquiorem esse non posse. At magna suspicio est, has omnes notas, quae PHOTII nomine ornatae cernuntur,

tur, ab inferioris aetatis homine adiectas esse catenae Oecumenianae; multis enim in codicibus non apparent, et monuit MONTEFALC. l. c. p. 150 in codice Coislin. XCV. eas omnino resectas esse; nec vana me duci arbitror coniectura, existimantem, OECVMENIVM nullo modo esse eum, qui hanc, quae eius esse dicitur, catenam conscripserit. Neque vero cum RICH. SIMONE (Hist. des Comment. c. 32. p. 458. et Crit. de du PIN. T I. p. 34.) prouocare placet ad id, quod saepenumero in codicibus nomen habeat: Τῶ Χρυσοστόμῳ καὶ ἑτέρων διαφόρων; nihil enim hoc quidem efficeret propterea, quod vnius catenae nomina solent esse diuersis in codicibus diuersa: sed sunt tamen alia, quae obstent plurimorum opinioni. Itaque totam rem distribute proponamus. Principio, cur commentarios in Acta Apostolorum, epistolasque catholicas OECVMENII velint esse, non video. Nam quidquid ii, qui ita sentiunt, argumentorum proposuerint, id totum est e commentariis in Paulli Epistolas ductum, nec in istis ceteris, de quibus disputamus, vsquam nomen OECVMENII occurrit. Est quidem in epigraphe graeca commentariorum in Apostolorum acta istius iniecta mentio, sed non modo cum dubitatione (ἐξήγησις τῶν πάλαι ἁγίων ἀνδρῶν ὑπὸ Ἀνονύμου Ἢ ΚΑΙ Οἰκουμενίου συλλεχθεῖσα, vbi HENTENIVS, vt fucum lectoribus faceret, IMO AB OECVM. posuit), sed quaeri etiam posset: Sitne

Sitne haec omnis epigraphe a DONATO Veronensi conficta? Nam qui graecam potuit lectorum admonitionem componere, fingere etiam ad libidinem ipsum graecum titulum potuit, nec in isto prooemio quidquam de codicis sui super hac re testimonio habet, sed, ne oratio vagetur extra terminos, argumenta ea, quibus ista controuersia componi potuisset, satius duxit silentio reprimere. Atque de hoc et vero etiam OECVMENII in epistolas catholicas commentario superius disputatum est (§. VII.), vtrumque paene ad verba THEOPHYLACTI esse. Sed is, qui exstat in Paulli epistolas, OECVMENII tamen est. Rogo, quam ob caussam? Primum, aiunt, propter notam OECVMENII ad Ephes. IV, 16. Tom. II. p. 38. Audiamus igitur. Ὅρα, inquit, τί κἀγὼ ἐνόμισα. Οὔτε γὰρ ἐχώρησα τὰ τῆ μακαρίᾳ νοῆσαι; tum obseruatio legitur, qua verba Paulli citata illustrantur. Crederes igitur OECVMENII obseruationem subiici, et propterea quidem, quod nihil ad hunc locum in CHRYSOSTOMO reperierit; hunc enim τὸν μακάριον non raro adpellat et vsurpauit catenae fabricator paene omnibus in locis. Sed vtrumque si credas, falleris. Nam illum CHRYSOSTOMI notam in h. l. legisse, quiuis videt; est enim ea ad hunc versum p. 37. omnino expressa, post verba Paulli: ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα, e CHRYSOSTOMI hom. XI. in illam epistolam Ed. Montef. p. 84. 85. At ista tamen obseruatio,

tio, quae verbis OECVM subiecta legitur, OECVMENII est. Darem hoc quidem, nihil enim, contra datam fidem, adscripsisset, nisi hoc ita esset; nec tamen vel sic constaret, OECVM hanc collegisse catenam; potuit enim is, qui eam composuit, hanc notam ex aliquo OECVMENII libro sumere. At in margine huius catenae τῦ Ἰωάννȣ nomen cernitur h. e. CHRYSOSTOMI. Sed illam nec apud CHRYSOSTOMVM reperias, nec quidquam, quod tamen promiserat, ad Paulli locum OECVMENIVS dixerit. Tam incerta igitur cum nomina sint, quae huius catenae margini adiiciuntur, quisnam se eorum potest auctoritati committere? Sed clariorem, vt opinantur, locum excitant in extrema parte huius commentarii in epist. ad Colossenses (T. II. p. 147.), vbi, OECVMENII nomine ad marginem posito, haec leguntur: Ἐκ τῦ ἀντιγράφȣ μὴ εὑρὼν καλῶς τας παραγραφὰς τῦ μακαρίȣ Ἰωάννȣ τῆς πρὸς Κολοσσαεῖς ἐπιστολῆς, συνέγραψα αὐτὰς ὅπως ἠδυνάμην. Εἴ ἄν εὑρεθῆ τι ἐν αὐταῖς ἢ κἄφον ἢ ἐπιλήψιμον, ἴσω ὁ ἀναγινώσκων, ἐμὸν εἶναι τὸ τοιῦτον πταῖσμα. Hanc omnem notam non OECVMENII esse arbitror, sed dicam enim quod sentio, eius, qui catenam descripsit. Nam quod HENTENIVS verba: καὶ καλῶς conuerterit: *non integre*, male conuertit, vt, qui graeca non contulerit putet, mutilum fuisse CHRYSOSTOMI codicem, quem catenae auctor vsurpauerit. Sed ista verba com-

commodius est intelligi de male conscriptis exemplis, de quorum verbis a se forte non bene lectis admonere catenae confector lectorem voluit; id enim vult, cum dicat: συνέγραψα αὐτὰς (παραγραφὰς) ὅπως ἠδυνάμην. Ac moris est scribarum, talia ponere; cuius rei exemplum reperias apud MONTEFALC. l. c. p. 77. 78. e codice Coisl XXV., vbi ANDREAS presbyter se dicit συναγαγόντα καὶ παραθέμενον τὰς ἐμφερομένας τῇ βίβλῳ ταύτῃ παραγραφὰς; loquitur autem de catena in Acta Apost. epistolasque catholicas, quae eius, quam OECVMENIO tribuunt, simillima est. Praeterea vix quatuor sunt in commentario nostro super epistola ad Colossenses scholia, quae OECVM. nomen habeant; e quibus duo p. 122. et 129. paene cum CHRYSOST. obseruationibus consentiunt, quem tantum abest vt integrum in hanc epistolam non habuerit, vt fere ad verbum descripserit per omnem epistolam; vna p. 120 e THEODORETO hausta videtur; vt profecto, si OECVMENIVS catenam collegisset, non haberet, quod quereretur, nimium sibi in hoc commentario conficiendo laborem superandum fuisse. Sic igitur censeo: OECVMENIVM obseruationem perscripsisse eam, quae est in verba vltima epistolae: ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν, ad quae CHRYSOST. nihil habebat. Sed cum is, qui exemplum, e quo catena edita est, descripserat, reperiret notam excusatoriam, quam paullo ante graece inte-

gram posuimus, nec eius auctorem agnoscere; putauit, si recte coniicio, eum OECVMENIVM esse, quoniam eius obseruationem statim ante hanc admonitionem viderat, eiusque nomen deduxit adscholium, de quo disputamus. Nihil denique dicam de argumento eo, quod SIXTVS SENENSIS bibl. S. lib. IV. p. m. 299. sumsit ex hoc commentario ad Ebr. VI., vel potius XI p. 380. (errat enim ille), vt illum OECVMENIO assereret In quo loco OECVM. ad suas in Octateuchum σημειώσεις prouocat; quales exstitisse non negamus, cum catena in Genesin et Exodum ab ALOYSIO LIPPOMANNO edita etiam notas cum OECVM. nomine contineat. Sed illud, vti diximus, argumentum non copiose disputabimus, dum nihil magis probat, quam in catenam nostram, quae OECVM. nomen ementitur, etiam OECVM. scholia congesta fuisse. Ceterum quisquis sit huius catenae confector, id candide profiteor, nihil praeclarius a scriptoribus graecis in N. T. conscriptum exstare, praesertim in genere interpretationis grammatico, quod haec catena paene vbiuis sectatur atque veluti selectissimas optimorum veterum interpretum obseruationes exhibet, maxime e CHRYSOSTMO et vero etiam ORIGENE, cuius nonnunquam opiniones admiscentur, quod iam ERASMVS obseruauit ad Ebr. VII, 25, qui hanc catenam *scholia Graeca* appellare solet Quamuis maiorem hi commentarii habituri essent opportu-

portunitatem, si vel ii, qui eos typographorum formis exscripserunt, cautius egissent, vel ipsi cum pluribus iisque accurratioribus codicibus conferrentur. Namque in textu graeco sacrorum librorum exprimendo HENTENIVS non ipsum videtur OECVMENII exemplum secutus, quoniam (in epistola ad lectorem) confitetur, se, cum in graeco OECVM. exemplari continuatus fuerit textus, eum et distribuisse in capita, istisque singulis praemisisse argumenta: quidni igitur et ipsum sacrum textum? qui, si catenae scholia continenti se ordine exceperint, certe non totus erat adpositus; et in locis iis, in quibus exemplum OECVM. a vulgaribus dissidebat, nec editioni (puto Erasmianae) aut bibliis Complutensibus conformis erat, vt in EVTHYMIO, textum restituisse, vt oportuerit. Quae HENTENII audacia quemadmodum indignationem criticorum meretur, sic satis cauto lectori constat, eum plerumque alteram aut posteriores ERASMI ἐκδόσεις in adiiciendo textu fuisse secutum. Quod non solum perpetuo fere eius cum Erasmianis lectionibus consensu doceri potest, sed pluribus etiam locis, in quibus adeo OECVM commentarii ab ipso textu graeco praefixo dissentiunt *). Damnan-

*) Vt Act. II, 30. in textu est, sicut in ERASMI posterioribus editionibus: Καθίσαι ἐπὶ τῦ θρόνε αὐτῦ, τὸ κατὰ σάρκα ἀναστῆσαι τὸν Χριστόν

mnanda est eo magis ista intempestiua HENTENII diligentia, quod ea factum sit, vt nunc carere videamur multis exquisitissimis lectionibus, quas si solus OECVMENII textus exhibuit, amisimus, donec eae ex aliis codicibus huic catenae restituantur. Multas vero tales exquisitas lectiones eum proposuisse, coniicere licet ex eo, quod de lectionis diuersitate huius catenae auctor saepius disputet atque sic resarciat quodammodo damnum, quod perditis ORIGENIS, DIODORI TARSENSIS, THEODORI MOPSVESTENI aliorumque κριτικωτέρων interpretum laboribus passi sumus. Nam et multas lectiones commemorat, quae obuiae non sunt vbiuis, eas etiam, quas nunquam reperias, vt Act. XIV, 26. Μίλητον pro Ἀντιοχείᾳ, et videtur vel ipsa ORIGENIS ac THEOD. MOPSV. scholia vsurpasse, vel codices tamen ad ἔκδοσιν Origenianam descriptos. Quod non male colligas ex eo, quod non modo prologos et κεφάλαια Euthaliana habeat, sed etiam bene multas lectiones cum Euthaliana recen-

Χριζὸν, sed in commentario p. 21. primum verba: κατὰ σάρκα explicantur, deinde, quomodo Christus sederit in throno Dauidis, declaratur, Ebr. XI, 3. λαλεῖται habet textus cum ERASMI edit., sed OECVM. in scholio λαλεῖ. Plura addi possent, nisi nonnunquam HENTENIVS contra ERASMI ἔκδοσιν ad ipsa scholia accommodatum textum reliquisset, vt Ebr. XIII, 9. παραφέρεσθε pro περιφέρεσθε ERASMI et Act. XXVI, 3. ἐπιζάμενος post ζητημάτων.

recensione communes; adparet autem tum ex ipso EVTHALII, Sulcensis episcopi, testimonio post recensionem epistolarum catholicorum posito apud ZACAGNIVM in *Collectaneis monumentorum vet.* p. 513., tum ex nota Calligraphi in Codice Coisliniano CCII., quam MONTEFALCONIVS aeri incidi curauit Bibl. Coisl. p. 262., EVTHALII ἔκδοσιν factam esse ad codices PAMPHILI martyris, in bibliotheca Caesarienſi, quos ad ORIGENIS recensionem et accuratissimos codices descripsisse PAMPHILVM, satis constat THEODORI item Mopsuesteni scholia, aut alterius cuiusdam, facta tamen e THEODORI scholiis adhibuisse huius catenae parentem vix dubito. Nam et aliorum, quibus haereticorum nota inusta erat, obseruationes vsurpauit, et, vt aliquo exemplo vtar, OECVMENIVS in catena nostra ad Ebr. II, 9. monet, Nestorianos pro χάριτι Θεοῦ posuisse χωρὶς Θεοῦ, vt ostenderent, Christum in crucem actum non ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ λόγου habuisse; refert autem WETSTENIVS ad h. l. scholion codicis, in quo ita legatur: ὁ δὲ Μοψουεστίας μεμφόμενος τοὺς χάριτι γράφοντας, τὸ χωρὶς Θεοῦ λεγει, ὡς οὐδὲν πρὸς τοῦτο παραβλαβείσης τῆς θεότητος. Denique de προλεγομένοις huius Oecumenianae editionis pauca dicamus. Actis Apost. praefiguntur varia de XII. apostolis incerti auctoris; itemque peregrinationes Paulli et eius μαρτύριον, quae duo posteriora momenta denuo habentur ante commenta-

mentarium in epistolam ad Romanos, nec non apud ZACAGNIVM in collect. monum. vet. p. 425. qui etiam p. 535. monet, primam huius martyrii partem, vsque ad verba ἐννάτης ἡμέρας, ἀνωνύμῳ illi scriptori adiudicandam esse, qui ante EVTHALIVM epistolas Paulli in capita Saec. IV. extr. distinxerat. Denique duplici argumento, quorum primum offert ZACAGNIVS l. c. p. 421. quamquam EVTHALIO minime tribuendum, itemque CHRYSOSTOMI praefationi, et aliis nonnullis, subiungitur ἔκθεσις κεφαλαίων τῶν πράξεων. Omissae tamen sunt ὑποδιαιρέσεις seu subdiuisiones, quae vna cum capitibus, variante tamen interdum lectione, recensentur a ZACAGNIO l. c. p. 428. sq. sub EVTHALII Sulcensis episcopi nomine, licet MONTEFALCONIVS bibl. Coisl. p. 78. sq. e codice Coisliniano erutam eamdem ἔκθεσιν PAMPHILO Martyri vindicet, in quorum tamen sententias fusius hic inquirere nostrum non est. In limine scholiorum OECVMENII ad epistolas Paulli pag. 189. occurrit prologus EVTHALII diaconi, omissa tamen allocutione ad ATHANASIVM; nec non capitum diuisio. Eadem ratione ante singulas Paullinas aeque ac catholicas exhibentur argumenta et capita cuiusuis epistolae, quae in recensione EVTHALIANA apud ZACAGNIVM l. c. et in editione N. T. Milliana exstant, lectione tamen saepius discrepante.

§. X.

§. X.

Ad calcem operum OECVMENII impressa est quaedam vel catena, vel aliquid tamen catenae simile s. t. *Breuis quaedam explicatio ex commentariis beatissimi Andreae Caesareae Cappadociae Archiepiscopi diuinitus elaboratis, expositа ab Aretha, indigno Caesareae Cappadociae Episcopo.* Ipsius ANDREAE commentarius, cuius fere epitomen *Arethas* dedit, primus e MSS. codd. Bauarico et Augustano latine conuersus editus fuit a TH. PELTANO Ingolst 1584. 4. cuius interpretatio inserta postmodum fuit variis PP. bibliothecis, praesertim bibl. PP. max. Lugd. Tom. V. p. 589. sqq. Alteram graecam et latinam editionem curauit FRID. SYLBVRRIVS Heidelb. 1596 fol. quae et operum CHRYSOSTOMI editioni *Commelinae* et *Morellianae* adiuncta est. Aetatem, qua vixisse et scripsisse ANDREAS fertur, BELLARMINVS et, qui eius sententiam amplexus est, GVIL. CAVIVS ad Saeculum V. referunt. Quorum tamen opinio cum idoneis destituatur argumentis, CASIMIRVS OUDINVS, in *Comment. de scriptoribus eccles. antiquis.* Tom. II. p. 95. sq. aliam viam ingressus, expositionis huiusce collectorem sub saeculi VIIII. mediam partem scripsisse, multis probat argumentis; in quibus illud grauissimum est, quod a DIONYSII Areopagitae ab ANDREA saepius citati sententiis duxit, cuius scripta, constat, ante

ante Saec. VI. nemini nota fuisse, simulque ex LAMBECIO l. c. p. 183. et MONTEFALCONIO ostendit, alios huius commentarii codices MSS. eum ORIGENIS, alios METHODII monachi, alios ANDREAE Cretensis, alios denique eosque plurimos ANDREAE Caesarienſis opus profiteri In illuminanda autem Apocalypsi hunc modum tenuit, vt e veterum scriptorum IRENAEI, HIPPOLYTI, GREGORII NAZ, EPIPHANII aliorumque scriptis, quidquid ad illustrandum hunc librum pertinere videbatur, congesserit suaque addiderit, ad illustrandum sensum grammaticum egregie accommodata. Sed paene nimius est in explicandis imaginum numerorumque mysteriis, seminaque spargit septem periodorum Ecclesiae, in quibus defendendis eruendisque e septem Apocalypticis epistolis multi ingenium operamque perdiderunt *). Prodit etiam opiniones ortas

*) Speciminis loco haec sunto: In pedibus Christi chalcolibano similibus Apoc. I, 15. Christi humanam naturam videt coniunctam cum diuina et tamquam diuini spiritus igne conflatam, c. VI. init. p. 594 l. c. bibl. PP. Lugd.; et Apoc. VII, 8. tribum *Dan* omissam dicit, propterea quod Artichristus ex illa nascitu-rus feratur C. XIX. p. 602.; quae coniectura ab aliis antiquiorum interpretum proposita, sumta videtur e Genes. XLVIIII, 8. et Satanae comparatione cum angue saepius in sacris libris facta. Numero septenario, si eum audias p. 591., omnium Ecclesiarum myste-

ortas e nimia forte verborum diuinorum proprietate seruata; quales sunt de supplicis improborum post hanc vitam breui tempore vehementioribus, post remissioribus, sine fine tamen futuris (c. XXVI. init.); de angelis a Deo rerum creatarum, aquae, igni cet. administratoribus constitutis (c. XLIII. med), aliisque similibus. Neque tamen Ecclesiae, ait, (c. LXII. init.) probari coniecturam eorum, qui probos homines fingant ad vitam reuocatos, in terra, millenaria voluptate potituros vsque ad omnium hominum reditum ad vitam; sed ipse hoc millenarium tempus alio modo interpretatur *). E septem sigillis Apoc. VI. seqq.

mysterium complexus est Ioannes, quoniam ille numerus praesentis vitae curriculo consentaneus est; habet enim hebdomas dies VII.; alibi p. 592. ille numerus requiem in futuro saeculo innuit; sed in illo interpretando, vt fit, fluctuat. Taliaque sunt multa; at cui non dictus Hylas?

*) En locum satis notabilem e Cap. LIX. p. 626. E. F.: „Mille annos non omnino praecise, „quasi tot tantum numero decursuri sint, „intelligere conuenit. Neque enim cum Da„vid ait: Verbi, quod praecepit in mille „generationes, decies centenas presse acci„pere debemus, sed numero multas. Ad „eundem itaque modum aut multum aut „certe perfectum numerum hoc loco signi„ficatum putamus. — — Mille igitur anni, „vt credibile fit, complectuntur totum il„lud tempus, qu od interfluit inter Christi „incar-

seqq. quinque trahit ad propagationem religionis Christianae atque calamitates Christianorum, maxime eas, quas a deorum cultoribus acceperunt, primis Ecclesiae Christianae saeculis; sextum vero ad Antichristi aduentum, septimumque ad vltima mundi fata; pariterque eam, quam huius sexti septimique sigilli dixit, significationem VII. tubis et phialis tribuit. In lectionibus denique a nostris exemplis deflectit saepenumero exhibetque exquisitiores pluribus quoque melioribusque codicibus consentientes; vniuersam autem Apocalypsin distinguit in XXIIII. sermones et LXXII. κεφάλαια propter *tripartitam*, vt ait in prologo, 24. *seniorum substantiam*, corporis videlicet et animi et spiritus. Hanc in κεφάλαια distributionem secutus est etiam ARETHAS, quem sub initium Saec. X. vixisse constat testimonio plurium codicum a MONTEFALCONIO commemoratorum *Palaeogr. graec.* p. 43. et 275.; vnde errare adparet CAVIVM et alios, qui eum in Saec. VI. coniiciant, quod vel ex eo agnoscere potuissent, quod C. XXXVI. p. 759. Saracenorum mentionem iniiciat, quorum, inquit, τὸ ἀρχεῖον ἐν Βαβυλῶνι νῦν ἐστι, atque cum ab eo ANDREAS dicatur C. XXI.

„incarnationem et Antichristi aduentum. „Vtrum ergo anni illi accipi debeant, vt „modo exposuimus, an vero inter decies „centenos absolute coerceri, an denique in„ter angustius spatium concludi, id soli Deo „cognitum opinor.

XXI. extr. ὁ τῆς κατ' ἐμὲ Καισαρείας τῆς Καππαδοκίας ἀξίως τὴν ἐφορείαν λαχὼν, iterum intelligitur ANDREAM et verum commentarii antea laudati auctorem et eum paullo ante ARETHAM, si recte e verbis coniicio, exstitisse. Sed ARETHAS noster non modo epitomen ANDREAE dedit, sed paene nouum commentarium confecit; nam et multum discrepat ab ANDREAE sententiis, veluti Cap. X. p. 689. vbi in locum eorum, quae ille de 24. senioribus non admodum inepte dixerat, longe ineptiora ipse ARETHAS substituit *), et saepe commentariis suis immiscet ANDREAE interpretationes, additis notis: Καὶ ἄλλως (p. 664.) vel ἄλλως ἐκ τῶν τῦ Ἀνδρέᾳ (p. 707.). Plerumque tamen summam exhibet commentariorum ANDREAE; cuius etiam lectiones habet **) et distributionem Apocalypseos in κεφάλαια, sed distinctio-

*) Sanctissiam trinitatem, ait, numerum septenarium secum ipsa multiplicasse, vt numerus 21. existeret, ad quem numerum si ternarius, tamqnam is, qui multiplicauerit, adderetur numerus, 24 produceretur.

**) Sed nonnunquam diuersas. ARETHAS c. X. p. 692. verba Apoc IV, 11. leget: ἄξιος εἶ ὁ Κύριος καὶ ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ ἅγιος. Andreas p. 598: *digne es Domine Deus noster.* Cap. XXXII. Andreas p. 609. locum Apoc. XI, 16. ita recitat: Et 24 *seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis;* Arethas autem sic: Οἱ εἰκοσιτέσσαρες πρεσβύτεροι, οἱ ἐνώπιον τῦ θρόνου τῦ Θεῦ, οἱ καθηνται ἐπὶ τὺς θρόνυς αὐτῶν.

ſtinctionis in λόγες ſ. ſermones nulla veſtigia occurrunt, et in diſtribuendis ſingulorum capitum argumentis non vbiuis cum ANDREA conſpirat *). Ceterum digniſſimus eſt, qui legatur, commentarius, quoniam et multa addidit de ratione grammatica et alios adhibuit interpretes, quos non vſurpauerat ANDREAS.

§ XI.

Praeter has catenas pauca quaedam ſunt excerpta e catena MS. in Acta Apoſt. et epiſtolas catholicas, quae e codice LVIII. bibliothecae Collegii Noui apud Oxonienſes deſumta et latina verſione exornata *anecdotorum graecorum* Tomo III. pag. 92. ſeq. et IV. p. 1. ſq. inſeruit IO. CHR. WOLFIVS. Abſoluitur autem haec catena MS., quam omnium; quas Oxonium ſeruat, praeſtantiſſimam iudicat, ſcriptorum XXXVI ſententiis, in quibus deligendis ita verſatus eſt WOLFIVS, vt auctorem in primis non editorum

*) Caput II., vt hoc vtar, ANDREAS incipit cum verbis Apoc. I, 10. ARETHAS cum verſu 9. Interpretatio, quae apud ANDREAM c. 3. poſt Apoc. I, 2. legitur, reperitur apud ARETHAM extr. capitis antecedentis. In ANDREAE commentario cap. XIX. incipit verbis Apoc. VII, 1., ſed apud ARETHAM verbis Apoc. VII, 4. cet. Hac confuſione fit, vt AMDREAE commentarius non niſi 71, ARETHAE 72 κεφάλαια habeat, ſed id librariorum magis culpa. Ipſe enim ANDREAS ſe 72. κεφ. feciſſe profeſſus erat.

rum expositiones proponeret. Huc pertinent e. c. *Athanasii* ἀνέκδοτα ex sermonibus eius aduersus Nouatianos; porro *Papiae*, *Hermae*, *Didymi*, *Seueriani*, *Seueri* aliorumque fragmenta non contemnenda; vbi tamen *Seuerum* cum *Seueriano* Gabalensi, in Syria episcopo, nonnumquam permutatum esse monuit editor in notis textui passim subiectis. Nonnumquam haec sylloge ad OECVMENII catenam accedit; ea ratione, vt contextus OECVMENII graecus et interpres latinus eximie corrigi inde possit, quinimo etiam fontes, vnde sua hausit OECVMENIVS, conspiciendi praebeantur. Sed quoniam WOLFIVS nil nisi excerpta dedit, non possumus rationem huius catenae et modum accuratius proponere.

§. XII.

Iam vero existit quaestio, vnde repetenda sit huius instituti origo, et qua ratione istud studium creuerit? Primum huiusmodi collectionis auctorem quidam venditant OLYMPIODORVM, cuius nomine catenam in Jobum latine translatam edidit PAVLVS COMITOLVS Venet. 1587. adiuncta dissertatione aduersus LAVR. CVM DEO, qui eamdem antea Lugduni 1586. typis mandatam NICETAE Serrarum Episcopo vindicauerat. Sed praeter ea quod OLYMPIODORI aetas non satis explorata sit, quamquam GRABIVS in *Spicilegio* Saec. II. p. 245. eam ad Saec. V. vel VI. referat, ipsi etiam codices in designandis auctori-

ctoribus dissentiunt, et probabilius est certe, quod haec catena NICETAE; et adeo ad Saec. XI. referenda sit, quo tempore antiquiores sunt aliae catenae. Aeque vacillat coniectura WOLFII, qui in diss. laud. §. II. OECVMENIVM forte primum inter eos esse arbitratur, qui talem operam in se suscepperint; neque enim de hoc scriptore multa sunt satis certa. Quare nos quidem Saeculo VI. in ecclesia graeca exstitisse censemus primos tales, qui scholia e diuersorum patrum scriptis ad sacrorum librorum interpretationem colligerent. Nam isto tempore desierunt fere ii, qui, subtili atque accurata liberalium disciplinarum cognitione imbuti, ad exemplum ORIGENIS, BASILII, CHRYSOSTOMI et aliorum eiusdem generis magnorum virorum, sensum grammaticum sacrorum librorum secuti, ipsi inquirere in eum vel potuissent vel voluissent. Contra et sensim consenuerat eruditio liberalis et paene neglecta jacebant bonarum artium omnisque humanitatis studia, cum Graeculorum ingenia torquerent quaestiones spinosae magna cum animorum concitatione disputatae, et ita regnaret priscorum doctorum auctoritas, vt plerique hos duces sequi, quam sensum iudiciumque suum adhibere mallent. Itaque post illa tempora vix quemquam reperias ipso iudicio suo vsum, sed ii, quorum sententiae in catenis continentur, paene omnes ante hanc aetatem exstiterunt, cum ceteri vel allegoricis

ricis somniis omnia inquinarent, vel omnem in sensu sacri codicis legitime reperiendo positam diligentiam contemnerent. Quam ob rem necesse erat, vt, qui meliora saperent, veterum interpretum sententias colligerent atque hoc modo vel tarditati ac ignorantiae mederentur, vel auctoritate antiquiorum doctorum rectum interpretandi genus conseruarent. Iam inter hos, qui talia ausi sunt, nullum reperimus antiquiorem PROCOPIO GAZAEO, eruditissimo saeculi VI. scriptore, cuius in Octateuchum, Salomonis prouerbia aliosque libros commentarii vel editi vel in codicibus exstant. Quos catenarum nomen mereri non dubitare potest, qui cogitet ipsa eius verba in prooemio ad ἐπιτομὴν ἐκλογῶν εἰς Γένεσιν, quae LAMBECIVS in laudato saepius opere lib. IV. p. 181. descripsit: Ἤδη μὲν καὶ πρότερον τὰς καταβεβλημένας ἐκ τῶν πατέρων καὶ τῶν ἄλλων εἰς τὴν Ὀκτάτευχον ἐξηγήσεις συνελεξάμεθα. Adde PHOTII Biblioth. cod. 65. (p. 272. Edit. Hoeschelii) Videlicet primum e variis scriptoribus, praesertim ORIGENE, interpretationes, ne mutatis quidem verbis, congesserat; deinceps, voluminis magnitudine deterritus, in quibus illos consentire videbat, ea continenti ordine proposuit, et sicubi dissidentes animaduertebat, paucis rem ipse explicauit Hoc institutum non modo imitati sunt scriptores graeci, quorum συλλογὰς supra descripsimus, sed latini

etiam, maxime tum, cum aucta barbarie bonarumque litterarum ignorantia necessitas imposita esset doctoribus, summam tradendi optimarum obseruationum, quas veteres ad sacrorum librorum intelligentiam composuerant. Quo non tam pertinet EVCHERIVS Lugdunensis Saec. V., quem SIXTVS SENENSIS B. S. lib. III p. 187. huc referri volebat; is enim in *quaestionibus exegeticis* in V. et N. T. etymologica magis, antiquitates resque ad mores pertinentes tractauit; at PRIMASIVS tamen saecul. VI. Adrumeti episcopus, qui praeter alia reliquit commentarios ex optimis commentatoribus latinis, inprimis HILARIO et AVGVSTINO etiam PELAGIO compositos; quorum scholiis interdum sua admiscet, plerumque tamen integra ea proponit. Post alias tandem minoris pretii collectiones hanc viam ingressus BEDA Venerabilis, in conficiendis commentariis suis ita versatus est, vt, docente ipso in *praef. ad comment. in Marcum*, ea, quae in patrum exemplis inuenerat, hinc inde collecta poni curaret, non nulla tamen propria ad imitationem sensus eorum, vbi opportunum videbatur, interponeret. Quo autem facilius dicta maiorum ab iis discernerentur, quae de suo inseruerat, quaeque potissimum ad lectionis diuersitatem spectabant, e regione cuiusuis sententiae ad designandos auctores primas nominum litteras adposuit; quae tamen notae postea librariorum incuria interie-

terierunt, quamquam BEDA in praefat. *ad comm. in Lucam* dicat: *Per dominum legentes obteſtor, vt ſi qui forte noſtra haec, qualiacumque ſunt, opuſcula transſcriptione digna duxerint, memorata quoque nominum ſigna, vt in noſtro exemplari reperiunt, affigere meminerint.* Eius exemplum ſecutus eſt RABANVS MAVRVS in elaboranda catena expoſitionum euangelii Matthaei et epiſtolarum Pauli; ſeruatis vbique patrum dictis eorumque nominibus in margine notatis. Secuti etiam ſunt alii, in primis WALAFRIDVS STRABO, PASCHASIVS RATBERTVS, LANFRANCVS, PETRVS LOMBARDVS, THOMAS AQVINAS cet., quorum conſilia et methodum diligenter delineauit RICH. SIMON *hiſt. crit.* Tom. IV. p. 348. ſq., vt de his plura dicere nobis non videatur neceſſe.

§. XIII.

Sed non dubito, fore aliquos, qui quaerant, qualis ex his catenis manare ad nos vtilitas poſſit; maxime cum nos carere iis poſſe videamur, dum plerorumque, e quibus congeſtae ſunt, Patrum ſcripta ſuperſint. Horum igitur inuidiae vt occurramus, nunc nobis iſtituenda eſt de vſu ac praeſtantia harum collectionum diſputatio; breuiſſima tamen, propterea quod iam videmus longius progreſſam eſſe exercitationem noſtram, quam putaueramus. Atque hic primum admirari iuuat prouidam Dei ſapien-

tisſimi curam in promouendo vſu eo, quem ex his ſimilibusque commentariis Eccleſia cepit, tum Latina, tum in primis Graeca, poſtquam ſumma barbaries ei iam languenti lumen bonarum litterarum ſubtraxerat. Quo tempore niſi exſtitiſſent haec clarorum ingeniorum monumenta, publica quaſi auctoritate ornata, quot tandem fuiſſent exſtituri, qui arduum illud negotium percunctandi omnia, quae facere ad legitimam ſacri codicis interpretationem poſſunt, ſuſciperent! Eſt enim illud ſtudium ita multiplex tantaque cum difficultate, labore atque diligentia coniunctum, contra ingenium humanum ita ad ignauiam pronum, maxime tum, cum nullo litterarum amore excitatur, vt maximus profecto ſacrorum librorum contemtus exſtitiſſet, nec facile illos, niſi dicis cauſſa et ad eos decretis ſuis captioſisque concluſiunculis accommodandos, adhibuiſſent. Et ſi fuiſſent, qui vel ingenii bonitate vel religione ad hoc ſtudium ducerentur, ii vel impediti fuiſſent litterarum ad hoc neceſſariarum inopia, vel nihil auctoritate ſua effeciſſent contra communem barbariem aut auctoritatem populari conſenſu firmatam. Quae mala omnia ſiue deleta, ſiue imminuta fuerunt talis generis commentariis. Sed illum vſum ſatis eſt nobis attigiſſe, quoniam de eo hic loqui conſtitutum eſt, qui ad nos adhucdum manare poſſit. Is vel ad ipſos diuini volu-

minis

minis libros eorumque intelligentiam pertinet vel ad alia antiquitatis ſtudia. De quo poſteriori vt primum dicamus, quot egregia eruditae antiquitatis monumenta beneficio harum catenarum tenemus? ORIGENIS, vt hoc vtar, opera, quae tantos bonarum litterarum theſauros complectuntur, et a quo vno ad juniores interpretes atque ſcriptores eccleſiaſticos tanta vel bona vel mala defluxerunt, quaeque temporis atque inimicorum iniquitate paene oblitterata fuere; illius igitur opera quantum lucis catenis debent, praeſertim iis, quas COMBEFISIVS Pariſiis, GRABIVS in Anglia contulit? quibus ſtudiis non modo maior atque accuratior lectionis diuerſitas conſtituta fuit, ſed etiam RVFFINI verſio plenior facta, integraque loca ORIGENI reſtituta. Aurea illa antiquarum verſionum graecarum AQVILAE, SYMMACHI, THEODOTIONIS aliorumque fragmenta, quo alio beneficio quam catenarum poſſidemus? Et de ſcriptis iis, quae, quoniam in haereticis poſita erant, contemta ac paene ſuppreſſa jacebant, in quibus tamen nemo, qui ſapiat, negauerit multa praeclara contineri vel ad errorum hiſtoriam veramque indolem et rationem ſpectantia vel ad ipſam doctrinam et diſciplinarum ipſiusque ſacri codicis intelligentiam; quam multa, GRABIVS in *ſpicilegio* aliique congeſſerunt, longe licet pleniora futura, niſi vel ignauia vel ſuperſtitio vel inuidia etiam eorum, qui talia

lia monumenta vsurpare possunt, ea obscuritate turpissima premeret. Ac si nec ipsa semper illustrium in antiquitate virorum loca in catenis deprehendantur, scripta tamen eorum alias ignota quae exstiterunt, vel adhucdum hinc inde delitescunt, cognoscimus, vt SEVERI Antiocheni, quorum catalogum plenissimum MONTEFALCONIVS B. Coisl. pag. 144. 263. et p. 53. e solis catenis dedit. Quot denique opera veris auctoribus, quotque loca eorum restituta, emendata, suppleta, illustrataque fuerint ab eruditis viris, catenarum ope adjutis, nemo ignorat, nisi qui hoc in genere litterarum plane hospes sit.

§. XIV.

Ita breuiter a nobis descripto catenarum graecarum vsu in vario antiquitatis studio, iam ad eum accedimus, qui in adcurate intelligendis libris sacris eminet, atque potissimum vel ad lectionis diuersitatem vel ipsam interpretationem redit; momenta, quae, vti in cunctis patrum scriptis, sic in catenis euoluendis praecipue tenenda sunt. Etenim cum illae in Graecia exaratae tot comprehendant scholia optimorum interpretum, in primis DIODORI TARSENSIS, eiusque discipulorum CHRYSOSTOMI et THEODORI MOPSVESTENI, qui, quidquid boni habent, prope omne ab ORIGENE eiusque vel codicibus vel σημειώσεσι accepta tenent; quin imo non

pauca

pauca ex ipsis hisce Origenianis scholiis in catenas fluxerint; quod vel OECVMENII exemplum comprobat, cui tot sunt communes cum EVTHALIO lectiones, vt supra diximus: profecto haud exigua ornamenta inde proficiscuntur ad omnem lectionum delectum. In primis autem catenarum graecarum lectio idonea est ad euitandas falsas illas lectiones et frequentes admodum in iis codicibus graecis, quos ad latinam versionem, in Africa praesertim, vt opinor, adulteratos esse constat. Sic locus ille criticorum contentione insignis 1. Ioh. V, 7. neque apud OECVMENIVM et THEOPHYLACTVM, neque in sex diuersis plane codicibus catenarum MSS., commemoratis a RICH. SIMONE *hist. des comment.* p. 464, deprehenditur. Quae res documento est, non existisse hunc locum in exemplaribus, quibus vsi sunt harum collectionum auctores. Pugnant vero etiam catenae graecae pro versionibus antiquis, vbi hae ad lectionem Graecorum accedunt. Ita VICTORIS ANTIOCHENI lectio ad Marc. I, 2. ἐν Ἡσαΐᾳ προφήτῃ, quam ORIGENIS auctoritate ductus eligit, non inepte, si quid video, magnam probabilitatem conciliat lectioni versionis latinae. Porro multas lectiones nobis seruarunt catenae, quae, vt bene monet Cel. ERNESTI *in instit. interpretis N. T.* p. 123. impediunt, quo minus lectionem aliquam ab antiquis ecclesiae doctoribus non receptam, aut igno-

ra-

gnoratam esse statuamus, propterea quod in eorumdem commentariis silentio praetermissa sit. Id quod lectione quadam CHRYSOSTOMI in catena MS. Augustana commemorata ostendit vir Ven. Colligi hac ratione licet ex EVTHYMIO ad Luc XVII, 2, quaedam exemplaria habuisse περιδετεῖται; ex OECVMENIO ad Iac. III, 6. p. m. 461. τροχὸν τῆς γεέννης loco τρ. γενέσεως. cet. Sunt aliae praesertim ab haereticis probatae vel inuentae lectiones, quae absque catenarum adiumento semper in occulto latuissent. Alia huius rei specimina iam supra in recensione quarumdam catenarum a nobis suppeditata sunt. Neque tamen vna cautione hic opus est, sed potius videndum, num compilatores dicta patrum κατὰ ῥητὸν proponant et bona fide recitent auctorum nomina; porro, cuiusnam forte interpretis lectionem sequantur*), denique, numne magis glossema sapiat eorumdem lectio. Sunt quoque alia, vbi passim de interpunctionibus monent, alia quae valent ad detegendam lectionem τῶν ὁ, si loca V. Test. vel diserte citantur, vel locutiones et phrases inde transferuntur, quae singula exemplis illustrari facile possent. Sed iam tempus est, delineandi alterum catena-

*) Quod si enim e. c. omnes CHRYSOSTOMI vestigia legunt, facile adparet, illos non nisi vnum cum eo testem efficere, quemadmodum OECVMENIVS, THEOPHYL. et ceteri in lectione συγκεκραμένους Ebr. IV, 1.

tenarum vſum, qui ipſam ſacrorum voluminum interpretationem mirifice ornat. Equidem, quae Graecorum laus eſt, vt non modo grammaticae et criticae doctrinae praecepta, verum etiam eius ſtudii exempla tradiderint, quae alii imitarentur, quibus data eſſet facultas: ita quoque inter Chriſtianos adcurata litterarum ſacrarum interpretatio Graecis potisſimum debetur. Cum enim illi, nondum exſtinctis elegantioribus ſtudiis linguae graecae et hebraicae peritiam cum iuſtis Grammaticae et Criticae regulis coniungerent, fieri profecto non potuit, quin in arte interpretandi magno poſt ſe interuallo Latinos relinquerent. Quamquam enim ſatis conſtat, Graecos interdum admiſcuiſſe, quae philoſophicam ſubtilitatem redolent*), et a recentioribus multis, quod mirum, repetita fuere, quin imo allegorias πρὸς οἰκοδομὴν inſperſiſſe; haec tamen nullo modo egregiorum interpretum laudem ipſis detrahere, vel ORIGENIS exemplo comprobauit S. Ven. ERNESTI *in diſp. de Origene, interpretatio-*

*) Qualis eſt, vt hac vtar, nota OECVMENII ad Ebr. XI, 1. T. II. p. 403. de fide ὑποϛάσει, quod vocabulum, interpretatur per ἕξιν τῶν ἐλπιζομένων πραγμάτων, addita mirabili huius interpretationis cauſſa: ἐπεὶ τὰ ἐν ἐλπίσιν ἀνυπόϛατά ἐϛιν ὡς τέως μὴ παρόντα. Quod eſt philoſophia abuti, non grammaticam ſequi, quae ipſum docere potuiſſet, ὑπόϛασιν exprimere Ebraeorum חקוה vel תוחלת h. e. fiduciam, patientemque exſpectationem.

tationis libr. sacr. grammaticae auctore. Quae cum ita sint: idem honos concedendus est catenis graecis, quae ἀκριβείας grammaticae exempla offerunt traduntque plurima a recentioribus veluti noua venditata quaeque vel cum deterioribus commutata fuere, vel plane obliuioni tradita *). Eam catenarum

*) Non superuacaneum fore existimamus, si aliqua huius rei specimina proponamus. In catena *Corderiana* in Ioh. I, 17. χάρις SEVERO et AMMONIO est Euangelium Cap. IV, 24. ἐν πνεύματι interpretatur AMMONIVS διὰ τῆς ψυχῆς, διὰ τῆς τὲ νὲ καθαρότητος, non corporis munditie et perpetuis lauacris. Cap. V, 39. CYRILLVS haec μὴ προστακτικῶς, ἀλλ' ὡς ἐν ὑποτιγμῆ legenda esse censet. Cap VI, 55. ii, quibus Christus promittit vitam aeternam, THEODORO HERACLEOTAE sunt οἱ εἰλικρινῶς τὴν ἔνσαρκον αὐτὲ οἰκονομίαν παραδεξάμενοι, καὶ τὸ τῆς ψυχῆς λογισμῶ διὰ τῆς συγκαταθέσεως, ὥσπερ ἀπογευσάμενοι τὲ δόγματος, λογικῶς ἐσθίεσι τὴν σάρκα καὶ μεταλαμβάνεσι διὰ τῆς πίσεως τὲ αἵματος. Ita et DIDYMVS. Cap. XIV. 16. παράκλητος THEODORO MOPSVESTENO est διδάσκαλος, optime. Porro EVTHYMIO ad Matth. XXVI. 7. νάρδος πιστικὴ est *vnguentum purum vel non temperatum seu mixtum, vt adparet, et ad puritatem seruatum.* Quae expositio placet etiam THEOPHYLACTO, ad h. l. Adde locum Rom. XII, 6., vbi προφητείαν, κατ' ἀναλογίαν πίσεως vsurpandam, OECVMENIVS et THEOPHYLACTVS interpretantur de mandato PAVLI, vt prophetae christiani contenti sint illo dono, secundum *proportionem fidei suae* concesso. At quo modo illam ἀναλογίαν nostri homines de similitudine

narum graecarum praestantiam bene perspicientes ERASMVS, BEZA aliique melioris notae interpretes, optimos inde flores collegerunt iisque suos exornarunt commentarios. Praebent vero etiam catenae graecae alia interpretationum exempla, quae, quamquam iusta atque vera, multis tamen ἑτεροδοξίας suspicionem mouerunt. Qualis est OECVMENII ad Act. III. 21. p. 32. τὸ, ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέχασθαι τέθειται ἀντὶ τοῦ, ἀνάγκη ἐστὶ δέχασθαι αὐτὸν (necesse est ipsum suscipi) ἅτε θὴ Θεὸν ὑπάρχοντα, et aliae plures, quas attingere per breuitatem nostram non licet.

§. XV.

Cum igitur tam multiplici praestantia atque dignitate se commendent catenae graecae, quanti fructus inde redundabunt in interpretationem librorum sacrorum, modo si cum iudicio iis vtatur interpres? Satis enim constat, et in hac disputatione passim lectores admonuimus, eas laborare naeuis, quibus facile decipi possit, qui hanc viam non satis circumspecte ingreditur. Quae etsi non vbiuis obuia sunt, nosse tamen proderit catenarum vitia, vt justum pretium singu-

dine ceperint, indeque ista significatio in omnes dogmaticorum libros transierit, vt pro typo quodam doctrinae poneretur, pluribus adnotauit S. V. D. ERNESTI in cit. diss. elegantissima de ORIGENE cet. §. 30.

singulis statuere atque peccandi occasiones vitare liceat. Quod principio monendum esse putamus, magna illorum vitiorum pars tribuenda est quarumdam catenarum graecarum editoribus, qui tantum abest, vt iusta plurium codicum collatione iis subuenerint, vt potius sua auxerint imperitia et incuria. Atque hic praecipue tenendum est, eos mala fide corrigere textum codicum, quos prae manibus habebant. Id quod cum ipsimet fateantur et obseruatione luculenter constet: profecto non vna cautione hic opus est. Saepe enim coniecturis temere se committunt, quarum exempla dedimus §. II. et alibi; interdum absolutis quasi decretis et praeconceptis opinionibus stant, quae nihil pretii in arte critica habent *). Quare illud in primis videndum est,

*) Eius notae est POSSINI obseruatio ad Matth. XII, 48. Tom. I. cat. Corder., vbi intempestiua matris ac fratrum Christi interpellatio a CHRYSOSTOMO reprehenditur. Ad haec ita interpres latinus: *Nihil a Deiparae sanctissimae moribus alienius est, quam ostentatio ac superbia — — Itaque haec, quae et hic et alibi attributa* CHRYSOSTOMO *vides, vix est, lector, vt inducere in animum possim ab ipso scripta ac vel cogitata vmquam esse, quantacumque videatur esse codicum fides.* Sed sunt omnino haec et grauiora alia CHRYSOSTOMI Homil XLIV. in Matth. p m. 467 item THEOTHYLACTI ad h. l. quamuis hic margini adiecerit editor: *Caue;* denique etiam EVTHYMII. Quam ob rem, vti iam THOMAS AQVINAS monuit

est, quaenam sit in editore litterarum, praesertim graecarum, peritia; deinde, num iustam artis criticae scientiam attulerit. Atque hic prima cura esse debet vniuersi textus sacri, vtrum eius recensio e MSto. ducta sit, an ex edito exemplo, veluti in OECVMENII commentariis, vti diximus. Porro singularum lectionum in ipsis scholiis memoratarum habenda est ratio; numne, quod EVTHYMII collectaneis accidisse monuimus, ad auctoritatem alicuius impressi exemplaris mutatae sint, an ipsa scholia exhibeantur integra. Exemplo sit scholion ORIGENIS in catena *Corder.* Matth. II, 18. τόπον ὑψηλὸν σημαίνει τὸ Ῥαμά, διὸ καὶ ἔν τισι τῶν ἀντιγράφων βιβλίων ἔτω γέγραπται, ἐν τῇ ὑψηλῇ ἠκούσθη; vnde fere coniici posset, quibusdam exemplis, ORIGENI obuiis, fuisse lectionem ἐν τῇ ὑψηλῇ, nisi RICH. SIMON in alio melioris notae codice animaduertisset hunc locum ita expressum: ἔ τισι τῶν ἀντιγράφων τῷ προφήτῃ γέγραπται, φωνὴ ἐν τῇ ὑψηλῇ ἠκούσθη. Denique etiam nosse oportet, cuiusnam indolis fuerit exemplar, ad cuius fidem impressa est catena, atque vtrum editores ex ingenio, an aliorum codicum auctoritate menda

nuit Summ. theol. Vol. VII. c. 2. qu. 27., CHRYSOSTOMVM potius, si quidem ille in iudicio peccauit, dicendi impetu abreptum esse, fateri praestat, quam omnium codicum fidem infringere.

da ac naeuos emendauerint et lectionum diuersitates diligenter expressserint. Quod autem ad versiones latinas attinet, cum mala earumdem fides §. II. III. cet. satis superque commonstrata sit: vix erit homo cautus, qui illis sese committat, nec potius textum graecum consulat. Cum hac editorum incuria proxime coniuncta est oscitantia librariorum, qua illi decepti hanc cautionem reddunt maxime necessariam, scilicet, ne scriptorum partibus adscribas omnia, quorum nomina sunt margini adposita propterea, quod vni auctori interdum tribuantur scholia, quae, si rem ad viuum reseces, e diuersorum sententiis ducta sunt, quinimo scriptorum nomina, nisi plane omissa sint, saepius tamen confunduntur. In quo partim editorum imperitia iustam reprehensionem incurrit, partim negligentia librariorum, qui cum nomina propria aliasque notas soleant variis scribendi compendiis exarare, ita litterarum ductus implicant, vt diuinando, quid sibi velint, vix assequi possis. Vnde fit, vt AMMIANI et AMMONII, GREGORII NAZIANZENI et NYSSENI, SEVERI et SEVERIANI, THEODORI MOPSVESTENI et HERACLEOTAE aliorumque nomina permutentur, adeoque interdum tribuantur scriptori alicui, quae placitis eius maxime repugnant*). Quod

*) Documento sit scholion catenae *Corderianae* ad Matth. I, 18, Tom. I. quod ORIGENIS nomine

Quod autem librarii praesertim catenae compilatorem aliquem venditent, cuius expositio sub initium sese offert, eius oscitantiae exempla in superiori tractatione a nobis suppeditata sunt. Postremo ipsos catenarum auctores non satis bene de istis meritos esse

mine consignatum ita se habet: Ἐπειδὴ ἐκ πνεύματος ἁγίου ἐλέγετο, ἀνάγκη καὶ πνευματικὴν εἶναι τὴν γέννησιν. Τοῦτο δὲ καὶ τὸν ἁγιασμὸν δηλοῖ καὶ τὸ ὁμοούσιον τῆς τριάδος καὶ τὸ μίαν εἶναι τὴν δύναμιν. Quam quidem interpretationem nec apud ORIGENEM offendimus, nec vmquam eum ita scripsisse arguit grauis illa et diu olim agitata controversia de voce ὁμοούσιος, quae ex ORIGINIS auctoritate, ad quam toties prouocabant Ariani, hac ratione facile componi potuisset. Adde, quod ORIGENES Tom. XII. in Ioh. eos acriter impugnet, qui dicant μὴ διαφέρειν τῷ ἀριθμῷ τὸν υἱὸν τοῦ πατρός, ἀλλ' ἓν, οὐ μόνον οὐσίᾳ, ἀλλὰ καὶ ὑποκειμένῳ τυγχάνοντας ἀμφοτέρους κατά τινας ἐπινοίας διαφόρους οὐ κατ' ὑπόσασιν λέγεσθαι πατέρα καὶ υἱόν. Quare, quemadmodum coniicit RICH. SIMON *loc. cit.* pag. 424., editorem fefellit nota $\overset{\rho}{\omega}$ margini codicis adscripta, quae spiritu leni instructa denotat ORIGENEM, aspero autem ὡραῖον s. ὡραῖον νόημα, vt adparet ex indice compendiorum scribendi apud LAMBECIVM laudati operis lib. III. p. 176. et alios, vbi ad signum $\overset{\rho}{\omega}$ haec explicatio ponitur: Τὸ σημεῖον τοῦτο τὸ ὡραῖον τέτακται ἐν τοῖς χωρίοις, ἐν οἷς φράσις κεκαλλωπισμένη ἢ τὸ νόημα ἐξήνθισται, ἢ καὶ ἀμφότερα ὑπεραίρεται.

se manifestum est. Quod enim HVETIVS in praef. ad ORIGENIS commentarios monuit, si quis symbolas eiusmodi non nisi ab eruditis et grauibus viris in vnum compositas arbitretur, eum vehementer falli, id vsu et obseruatione confirmatur, dum alii collectores majori ingenio et sollertia, vberiori etiam eruditionis adparatu, tales labores susceperunt, quam alii, qui, quidquid praesto erat, arripiebant, nullo legitimo discrimine facto. Vnde etiam tot aliorum fragmentorum lectionumque diuersarum jacturam merito dolemus, vt DIODORI TARSENSIS cet., cui obstare ipsimet potuissent, nisi plerumque censuissent plane reiicienda, quae cum stabilitis in ecclesia sua decretis pugnare videbantur. Ea autem in primis consuetudo catenarum fabricatoribus valde familiaris est, vt scriptorum verba non integra, sed variis modis deformata exhibeant; dum patrum sententias vel contrahunt, vel praetermissis rationibus, quibus illae superstructae erant, atque, neglecta mentione nexus cum antegressis, corrumpunt vel denique subinde suis cogitatis ita amplificant, vt sensum magis, quam verba patrum offendas. Accidit inde, quod POSSINVS de catena *Corderiana* in *Matthaeum* ait: *Equidem tumultuaria phrasis est et proper antis manus compendiis subinde curta, quod non in litterarum modo praefestinatis ductibus et siglis frequentatis, sed et in sententiis non raro hiantibus*

tibus ac mutilis nimio plus, quam neceſſe fuit, experiri deſcribendo vertendoque meminimus. Quae tamen ſubitaria dictionis ratio aliqua ex parte tribuenda videtur librariis, qui gloſſas, quas a recentiori manu adſcriptas margini reperiebant, in textus ſeriem interdum transtulerunt; cuiusmodi quid eueniſſe EVTHYMII collectaneis notat RICH. SIMON *cit. loc.* pag. 422. Magna, fateor, haec ſunt incommoda; non tamen ea, quibus nulla parari poſſit medela. Quamquam enim ſpecialiores regulae in disquirenda catenarum fide praecipi nequeant, cum profecto ſint multae huius generis collectiones melioris notae: haec tamen via teneri debet, vt, vbi eas euoluere datum eſt, diligentem aliorum exemplarium, cum MSS., ſi licet, tum quoque impreſſorum comparationem inſtituamus, vel etiam adhibitis patrum commentariis ſcrutemur: vtrum ſcholia inde translata bona fide recitentur. Id ſi contingat: tunc ne vero ſimilis quidem ratio relinquitur, cur idem dubitemus concedere reliquis excerptis, quorum vel auctores ignorantur, vel fontes, vnde hauſta ſunt, perierunt. Ceterum, quem ad modum nec omnes catenae graecae ita comparatae ſunt, vt iſtis cautionibus ſuperſedere queas; ita profecto huius difficultatis cauſſa, qui egregios earum vſus criticos atque hermeneuticos neget, exiſtimamus fore neminem.

§. XVI.

§. XVI.

Atque in constituto catenarum graecarum in N. Test. vsu multiplici ac definita necessaria in iis adhibendis cautione, nunc colophonem tractationi nostrae imponimus, simulque non modo iis, qui ad patrum commentarios excutiendos egregio animi impetu feruntur, suasores existimus, vt catenarum graecarum adiumento praeclaro doctorum veterum genio et commentandi rationi grammaticae adsuescant, verum etiam eos, quibus cum priscis illis magistris familiarior intercedit consuetudo, rogamus, vt, vbi contigerit facultas atque occasio, collatis codicibus prodire iubeant plures et integriores huius generis collectiones, neque illis, quibus iam vti licet, nouam lucem adfundere eos poeniteat. Quem ad modum autem celebranda est summi numinis sapientia, quae ipso hoc catenarum instituto in primis prohibuit, quo minus legitima interpretandi ratio olim in ecclesia graeca prorsus interiret: ita maxime optamus atque contendimus, vt ii, qui in interpretando proficere cupiunt, priscos illos interpretes mature sibi habeant commendatos, et ita, magis magisque incenso sacrarum litterarum rite cognoscendarum studio, Dei sapientissimi laus et gloria et vniuersae Christianorum doctrinae decus promoueatur.

Einige Bücher aus Hendels Verlage.

Aegyptus auctore Ibn al-Vardi. Ex Apographo Escorialenſi, una cum lectionibus variis e Codice Dresdenſi primus edidit, vertit, notulisque illuſtravit *Chr. Mart. Frœhn.* med. 8. 12 Gr.

Ariſtoph. Acharnenſes graece, edidit, varietate lectionis animadverſionibus VV. DD. ſuisque nec non indice vocabulorum inſtruxit I. G. C. Höpfner. Pars. I. 799. 8. 10 Gr.

Becher, C. A. E. Abhandlung vom Sabbah der Juden und dem Sonntage der Chriſten. gr. 8. 18 Gr.

Bernſtein, Dr. Ge. H. Verſus ludicri in Romanorum Caeſares priores olim compoſiti; collectos illuſtratos, recognitos, auctoritate ſoc. Ducal. lat. Jenenſi edidit, cum epiſtola a Dr. *Eichſtedt.* med. 8v. 810. 10 Gr.

Büttner, Io. Chreſtomathia patriſtica latina. Conatus primus. Chreſtomathiam Hieronymianam continens. med. 8. 12 Gr.

Capelli, Lud. critica ſacra, ſive de variis, quae in ſacris V. T. libris occurrunt, lectionibus libri VI. recenſ. multisque animadverſſ. auxit. Tom. I. curavit G I. L. *Vogel* Tomi II. et III. cura I. G. *Scharfenbergii.* med. 8v. 3 Rthlr. 18 Gr.

Clauswiz, B. G. ſyntagma doctrinae de fide in Ieſ. Chr. diſſertt. dogmat. XIII. in acad. Hal. expoſita. 4to. 12 G.

Conjecturae hiſtor. crit. Sadducaeorum inter Judaeos ſectae. novam lucem accendentes (auct. Schulz, Berolin.) 8v. 3 Gr.

Critik über Titel; oder wie ſoll man die Büchertitel einrichten? 8. 16 Gr.

Ehrenberg, Fr. über Denken und Zweifeln. Zur Aufklärung einiger Mißverſtändniſſe in der höhern Philoſophie. 8. 14 Gr.

Flaminii, M. Ant. in librum Pſalmorum brevis explanatio, et iis eorum aliquot paraphraſes luculentiſſimae; ad edit. Aldini, recudi curauit et praefatus eſt S. Th. *Wald.* 8. 1 Rthlr. 6 Gr.

Gründ-

Gründler, C. A. Entwickelung der Frage: können die sogenannten symbol. Bücher der luther. Kirche nach Rechts- und territorial. staatsrechtl. Grundsätzen abgeändert werden? 18 Gr.

Heike, F. M. Materialien zum Religionsunterricht für Catechumenen aus mehrern Ständen. 18 Gr.

Hobbes, Thomas, Leviathan, oder der kirchliche und bürgerliche Staat. 2 Bände. gr. 8. 1 Thlr. 12 Gr.

Kœgler, Ign. notitiae SS. Bibliorum Judaeorum in Imp. Sinensi. Ed. altera, auctior. Seriem chronologicam atque diatriben de Sinicis S. S. Bibll. Verss. addidit Chr. Theoph. *de Murr*. cum tab. aen. med. 8. 8 Gr.

v. Murr, C. G. Versuch einer Geschichte der Juden in Sina. Nebst P. Ignaz Kögslers Beschreibung ihrer heiligen Bücher in der Synagoge zu Kaifong-fu, und einem Anhange über die Entstehung des Pentateuchs. gr. 8v. 12 Gr.

Niemeyer, A. Herm. Programmata theol. 4to. 12 Stück. 12 Gr.

Schmieder, M. B. Fr. Anweisung zum vernünftigen und thätigen Christenthum für die frühere Jugend. 8v. 4 Gr.

de Schnurrer, Chr. Fr. Bibliotheca arabica. Auctam nunc atque integram edidit. med. 8v. 1811. 2 Thlr. 16 Gr.

Semler, Joh. Salom. christlich-freye Untersuchung über die sogenannte Offenbar. Johannis. 8. 776. 10 Gr.

—— Freymüthige Untersuchungen die Offenbarung Johannis betreffend, wider H. Prof. Schmidt. 8 Gr.

—— de emendandis V. T. interpretibus, cum appendice ad prog. Jenense, epistola ad clar. I. I. *Griesbachium*. 8. 3 Gr.

—— Comment. de daemoniacis, quorum in N. T. fit mentio; editio IVta; multo jam auctior. 8v. 779. 6 Gr.

Stange, Dr. T. F. Theologische Symmikta. 3 Thle. 8. 1 Thlr. 16 Gr.

Tertulliani, Q. Sept. Flor. opera, recensuit D. Io. Sal. *Semler*. 6 Volum. c. ind., 8v. 3 Thlr. 6 Gr.

139 692

ULB Halle
3
007 354 479

VDN8

R

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-817211-p0415-1


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-817211-p0416-6

IO. AVG. NOESSELTI

TRES

COMMENTATIONES

AD

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

PERTINENTES:

1) Providentiae divinae vestigia in pace Passavienſi 1552. et Auguſtana 1555.

2) De vera aetate ac doctrina ſcriptorum Q. S. Flor. Tertullinani. ed. tertia.

3) Obſervatt. de catenis Patrum Graecorum in N. Teſt. auctore I. F. S. Auguſtin.

HALAE,
FORMIS HENDELIANIS
1817.

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres Inches
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-817211-p0417-2